


STUDIA CRITICA
IN POETAS SCENICOS
GRAECORUM.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Insunt duo Fragmenta Aristophanis inedita.

Edidit Academia Regia disciplinarum Nederlandica.

7:3

AMSTELODAMI,
APUD C. G. VAN DER POST.
MDCCCLXXII.
1872


STANFORD UNIVERSITY
LIBRARY

STUDIA CRITICA

IN POETAS SCENICOS

GRAECORUM.


SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Insunt duo Fragmenta Aristophanis inedita.

Edidit Academia Regia disciplinarum Nederlandica.

AMSTELODAMI,
APUD C. G. VAN DER POST.
MDCCCLXXII.


STANFORD LIBRARY
22 1963

CAPITUM TABULA.

INDEX LOCORUM

TENTATORUM VEL EXPLICITORUM.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 1 Sero admoneor ab amico locum *Suppl.* 234 sqq. iam eodem modo emendatum esse a Nicolao Wecklein (Studien zu Aeschylos p. 34).

" 22 in nota Pro *ποπτέον* lege *ποπτέον*.

" 25 med. Coniecturam in locum H. F. 1271 sqq. repudio.

" 35 extr. pro *Ioni* vs. 52 lege: *Ioni* vs. 572.

" 45 Fragmentum ex *Eurystheo* nunc una litera transposita sic corrigendum esse video:

πέμψεις δ' ἐς ῞Αιδου ζῶντα κοὐ τεθνηκότα,
καί μοι τὸ τέρθρον δῆλον, εἰ πορεύσομαι.
pro *εἰσπορεύομαι.*

" 61, vs. 24. Pro 680 lege 630.

" 62 extr. Ad huius vitii naturam cf. Demosth. XIX § 259, ubi prorsus similiter ex *ὑποκοριζόμενοι* librarii codicis Σ fecerunt *ὑποκορακιζόμενοι.*

" 71 vs. 25. Pro "a correctore metri gratia" lege "a magistello."

" 79 " 22 Pro Chrysosthomi lege Chrysostomi.

" 88 Etym. M. p. 744 38: *τὸ τάλαντον κατὰ τοὺς παλαιοὺς χρυσοῦς εἶχε τρεῖς· διὸ καὶ Φιλήμων ὁ κωμικός φησι·*

Δύ' εἰ λάβοι
τάλαντα, χρυσοῦς ἔχων ἓξ ἀποίσεται.

Metrum restituunt Bentleius et Petitus transponendo *ἓξ ἔχων*.
Mihi participium male abundans magistelli esse videtur,

Si qui praeterea huic libro insunt aut mei aut operarum errores, humane ignoscat aequus lector.

STUDIA CRITICA

IN

POETAS SCENICOS GRAECORUM.

CAPUT I.

AD AESCHYLUM.

Labem passa videntur verba regis Argivorum ad Danaides in *Supplicibus* vs. 234 sqq. haece:

Ποδαπὸν ὅμιλον τόνδ' ἀνελληνόστολον
πέπλοισι βαρβάροισι καὶ πυκνώμασιν
χλίοντα προσφωνοῦμεν; οὐ γὰρ Ἀργολὶς
ἐσθὴς γυναικῶν οὐδ' ἀφ' Ἑλλάδος τόπων.

Suspicionem enim movet vocabulum *πύκνωμα* miro exemplo usurpatum pro *veste.* Hesychium, huiusve auctorem, olim legisse:

πέπλοισι βαρβάροισι καὶ σπαθήμασιν
χλίοντα κτέ.

documento est eius glossa: *σπάθημα· πύκνωμα, ἀπὸ τῶν ταῖς σπάθαις κατακρουόντων τα ὕφη.* In textu Aeschyleo glossema, uti vides, glossae locum occupavit. Quo vitii genere nihil est crebrius. Vide quae infra disputavi p. 23 sqq.

Ibidem vs. 753 sq. Danaus ad filias:

καλῶς ἂν ἡμῖν ξυμφέροι ταῦτ', ὦ τέκνα,
εἰ σοί τε καὶ θεοῖσιν ἐχθαιροίατο.

Recte interpretes haeserunt in vocabulis *σοί τε* procul dubio depravatis. Corrigendum videtur:

εἰ τοῖσδε καὶ θεοῖσιν ἐχθαιροίατο.

Cf. in chori responso: *τριαίνας τάσδε.*

Apud eundem tragicum in *Septem* vs. 576 sqq. nuntius haec de Amphiarao:

καὶ τὸν σὸν αὖθις προσμολὼν ὁμοσπόρον
ἐξυπτιάζων ὄμμα, Πολυνείκους βίαν,
δίς τ' ἐν τελευτῇ τοὔνομ' ἐνδατούμενος
καλεῖ κτέ.

Quo sensu dicatur Amphiaraus nomen Polynicis *bis in fine dividere* non intellego, neque expedio voculam *τε*, quae aliquanto melius abesset.

Sentential postulat, ut dicatur eius nomen dividere in duas partes *Πολυ — νεικης*, quemadmodum bene locum intellexit vetus interpres adnotans: *Εἰς δύο διαιρῶν τὸ ὄνομα τοῦ Πολυνείκους, τὸ πολὺ καὶ τὸ νεῖκος.*

Scripsit igitur, si quid video, poeta:

δισσῇ τελευτῇ τοὔνομ' ἐνδατούμενος

i. e. nomen *dividens* per duplicem terminationem *λυ* et *κης*.

Sermonis elegantiam desidero in his nuntii verbis *Pers.* 454 sqq.:

ὡς γὰρ θεὸς
ναῶν ἔδωκε κῦδος Ἕλλησιν μάχης,
αὐθημερὸν φράξαντες εὐχάλκοις δέμας
ὅπλοισι ναῶν ἐξέθρωσκον.

Nam cum languet additum priore loco *ναῶν*, tum aures offendit proxime repetitum. Longe certe mallem:

ὡς γὰρ θεὸς
νεύων ἔδωκε κῦδος Ἕλλησιν μάχης κτέ.

„ut enim deus *nutu suo* dedit Graecis victoriam." Confundi solere a scribis vocalem *α* et diphthongum *ευ* nemo ignorat. Cf. Eurip. Alc. 977: *καὶ γὰρ Ζεὺς ὅτι νεύσῃ, ξὺν σοὶ τοῦτο τελευτᾷ.*

Bene Dindorfius intellexit in eadem fabula vitiosa esse quae leguntur vs. 380 sq.:

οἵδ' ἀμφὶ νῆσον τὴν πελειοθρέμμονα
νικώμενοι κύρισσον ἰσχυρὰν χθόνα κτέ.

nec tamen probo, quod coniecit *πεπληγμένοι*. Multo enim propius a librorum lectione nec minus apte e *ΝΙΚΩΜΕΝΟΙ* elicias *ΗΛΚΩΜΕΝΟΙ*, i. e.

ἡλκωμένοι, *vulnerati*. Insuper miror ἰσχυράν sine exemplo dictum pro τραχεῖαν. An forte latet adverbium ἰσχυρῶς, iungendum cum illo participio?

Eumenid. 299 sqq.:

οὔτοι σ' Ἀπόλλων οὐδ' Ἀθηναίας σθένος
ῥύσαιτ' ἂν ὥςε μὴ οὐ π α ρ η μ ε λ η μ έ ν ο ν
ἔρρειν, τὸ χαίρειν μὴ μαθόντ' ὅπου φρενῶν,
ἀναίματον βόσκημα, δαιμόνων σκιάν.

Videsis, quam parum iners istud et languidum παρημελημένον, i. e. *neglectum*, deceat furore et horrore plenam Dirarum orationem.

Quam vellem esse in codice:

ὥςε μὴ οὐ π α ρ ε ξ η υ λ η μ έ ν ο ν
ἔρρειν κ τ έ.

i. e. κατατετριμμένον, ut interpretatur Photius: τὸ ἀμυδρόν · ἀπὸ τῶν γλωσσίδων τῶν αὐλῶν τῶν κατατετριμμένων. Ἀριςοφάνης· Οὐδὲν ὄντας ἀλλὰ κωφοὺς καὶ παρεξηυλημένους (Ach. 681). Similia Hesychius et Suidas. Cf. Etym. M. 348, 28. Metaphora de homine omni miseriarum genere confecto et exhausto Aeschylum, ut mihi quidem videtur, non dedeceret. Parum me movet amici obiectio comicum esse vocabulum non tragicum. Nam apud comicos non nisi uno illo, qnem Photius affert, Aristophanis loco reperitur, estque is locus in parabasi, ubi haud raro supra vitae communis usum assurgit oratio, ut v. c. in hac ipsa vicinia vs. 684 (Ach.) poeta dicit: τῆς δίκης τ ὴ ν ἠ λ ύ γ η ν. Ceterum βίος παρεξηυλημένος Graecis erat in proverbio.

Ibidem haereo in his Furiarum verbis vs. 719 sq.

ἐγὼ δὲ μὴ τυχοῦσα τῆς δίκης
βαρεῖα χώρᾳ τῇδ' ὁμιλήσω π ά λ ι ν.

Sic enim contra mentem poetae dicunt se iam antea Atticae fuisse infestas. Errant enim qui πάλιν interpretantur *in posterum*. Nam posse hoc adverbium eo sensu usurpari minime probat locus Herc. Fur. 777, ubi de temporis *vicissitudine* sermo est, habet non raro eam vim vocula αὖθις, numquam πάλιν, quod certe sciam. Hinc vide ne hic quoque, quod saepe accidit, *ΠΑΛΙΝ* a scribis confusum sit cum *ΠΑΝΥ* (πάνυ).

Describentis errore vocabulum male repetitum exturbavit aliud ad sententiam necessarium in eiusdem Aeschyli *Supplicibus*, vss. 960 sqq, ubi rex Argivorum ad Danaum eiusque filias hoc utitur sermone:

— ἔνϑ' ὑμῖν ἐςιν εὐτύκους ναίειν δόμους
πολλῶν μετ' ἄλλων · εἰ δέ τις μείζων χάρις,
πάρεςιν οἰκεῖν καὶ μονορρύϑμους δόμους
τούτων τὰ λῷςα καὶ τὰ ϑυμηδέςατα
πάρεςι λωτίσασϑε κτἑ.

Συκινην ἐπικουρίαν esse Canteri, alterum *πάρεςι* virgulis includentis, correctionem, recte principes critici agnoverunt. Sic enim vocabulum *ςοιβῆς* vice fungi manifestum est. At inepta sunt aut ea qua voluere sententia minus Graeca quae reponenda coniecerunt viri docti, e quibus *πλείςαισι* Schützius, *ἀτρεςὶ* Hermannus proposuit. Quoniam vero planum est *πάρεςι* ab oscitante librario ex eadem sede versus paenultimi esse repetitum, persuasum habeo nullam in hoc loco emendando aucupandam esse literarum similitudinem, nihilque admittendum nisi quod ita sententiae conveniat, ut unicuique locum paulo diligentius consideranti debeat venire in mentem. Tale autem mihi videtur:

Τούτων τὰ λῷςα καὶ τὰ ϑυμηδέςατα
δόξαντα λωτίσασϑε κτἑ.

i. e. ex his, quae optima et gratissima *visa fuerint*, eligite.

Simile quid accidisse suspicor in Aristophanis *Ranis* vs. 1394, ubi pro *μέϑεσθε μέϑεσϑε· καὶ τὸ τοῦδέ γ' αὖ ῥέπει* ad exemplum vs. 1384 expectes:

κόκκυ, μέϑεσθε κτἑ.

quod et numerosius est et melius respondet Dionysi verbis vs. 1380:

καὶ μὴ μεϑῆσϑον, πρὶν ἂν ἐγὼ σφῷν κοκκύσω.

Omnino consulenda, quae nuperrime C. Bernhardus scripsit de *incisionibus anapaesti comici Graecorum* in Actis Societatis philologicae Lipsiensis ed. Ritschl, tom. I fasc. II, p. 246 sqq. Cuius commentationis lectoribus fortasse gratum fecero, si paucis quibusdam locis anapaestos ab illo, modo verae sint, quas ipse partim praeeuntibus Reisigio, Elmsleio, aliis, constituit regulas, parum probabili ratione defensos lenibus remediis removeri *posse* ostendero.

Apud Platonem in *Ἑορτῶν* fr. 1 (Mein. F. C. II, 624) scribitur:

τῶν γὰρ τετραπόδων οὐδὲν ἀποκτείνειν ἔδει
ἡμᾶς τὸ λοιπόν.

Numerosius est:

τῶν γὰρ τετραπόδων οὐδὲ ἓν κτείνειν ἔδει κτέ.

Ephippus *Πελταςαῖς* fr. II (M. III, 337):

οὐ Μενεκράτης [μὲν] ἔφασκεν εἶναι Ζεὺς θεός;
Νικόςρατος δ' Ἀργεῖος ἕτερος Ἡρακλῆς;

At vocula *μέν* salva sententia abesse potest, et facile dittographia nasci potuit e praegressi vocabuli prima syllaba. Insuper vide an scribendum sit *Ζεὺς νέος*.

Diocles *Μελίτταις* fr. II (M. II, 839):

Πῶς δὲ καὶ κεκραμένον
πίνειν τὸν οἶνον δεῖ με; Β. τέτταρα καὶ δύο.

Transponi possit:

Β. δύο καὶ τέτταρα.

Sotades *Ἐγκληομέναις*, fr. I, vs. 23 (M. III, 586):

ἰχθύδια, τούτων ἀποκνίσας τὰ κρανία.

Fortasse verum est:

ἰχθύδι', ὧνπερ ἀποκνίσας τὰ κρανία.

Timocles *Πύκτῃ* (M. III, 586):

Εὑρήσεις δὲ τῶν ἐπισιτίων
τούτων τινας, οἳ δειπνοῦσιν ἐσφυδωμένοι.

Sed nihil impedit, quominus legatur:

τούτων τιν', οἳ δειπνοῦσιν ἐσφυδωμένοι, ut οἳ pendeat a τούτων.

Verum, utcumque de hac anapaestorum incisorum licentia statuetur, nemo mortalium negabit depravatum esse versiculum, qui inter *μονοςίχους* Menandri (?) editur sic scriptus (vs. 563):

μεγάλη τυραννὶς ἀνδρὶ τελοῦσα καὶ γυνή.

Vix autem dubium puto corrigendum esse:

μεγάλη τυραννὶς ἀνδρὶ πλουσία γυνή.

Uxores divites, *dote fretae,* quam importunae esse solerent, nemo in novae comoediae poetis ita hospes est ut ignoret. Sed redeamus ad Aeschylum, quem interprete magis quam critico indigere arbitror in loco varie tentato, qui legitur in Prometheo vs. 50, ubi *κράτει τε καὶ βίᾳ* dicenti:

ἐλεύθερος γὰρ οὔτις ἐστὶ πλὴν Διός.

Vulcanus respondet:

ἔγνωκα τοῖσδε κοὐδὲν ἀντειπεῖν ἔχω.

In quo responso manifestum est pronomen non suspensum esse ab ἀντειπεῖν (quod olim statuentes nescio quod hyperbaton erant qui opinarentur), sed ab ἔγνωκα. Sententia est me iudice satis perspicua. *Novi hisce*, ait Vulcanus, i. e. iis quae nunc ipsum fiunt, tam quod ad me attinet, qui invitus cogar vincire Prometheum, quam quod ad Prometheum, qui saevissimas poenas luat eius quam sibi arrogaverat libertatis. Aliquanto igitur haec, ut in codice scribuntur, melius et significantius dicuntur, quam si Nauckio obtemperans reposueris: ἔγνωκα καὐτός vel ἔγνωκα κἀγώ.

CAPUT II.

AD SOPHOCLEM.

Frustra editores tuentur ut hodie scribitur, Sophoclis locum Aiac. 137 sqq.:

σὲ δ' ὅταν πληγὴ Διὸς ἢ ζαμενὴς
λόγος ἐκ Δαναῶν κακόθρους ἐπιβῇ,
μέγαν ὄκνον ἔχω καὶ πεφόβημαι
πτηνῆς ὡς ὄμμα πελείας.

Parum enim magnifice de elegantia Sophoclea sentire mihi videntur qui putant eum dicere potuisse: *pennatae ceu oculus columbae* pro *ceu columba.* Nihil eorum quae ad librorum lectionem defendendam allata sunt, mihi quidem ut id credam persuadet.

Ingeniose olim Piersonus coniecit:

μέγαν ὄκνον ἔχω καὶ πεφόβημαι
φήνης ὡς ὄμμα πελειάς.

probabili me iudice coniectura, nisi quod ne sic quidem ὄμμα satis recte habere videtur. Timet enim columba aquilae non oculum, opinor, sed *impetum.* Aquila, avium ex communi hominum opinione oculatissima, tam e

longinquo conspicit columbam, ut haec eius oculos ne cernere quidem possit, nedum expavescere. Nihil igitur amplius requiram, si scribatur:

μέγαν ὄκνον ἔχω καὶ πεφόβημαι
φήνης ὡς οἶμα πελειάς.

Cf. Hom. Il. XXI, 252: αἰετοῦ οἴμαθ' ἔχων μέλανος, τοῦ θηρητῆρος. Ib. XVI, 752: οἶμα λέοντος ἔχων. In praegressis etiamnum verius puto, quod conieci Anal. Crit. p. 11 transponendum esse:

σὲ δ' ὅταν ζαμενὴς πληγὴ Διὸς ἢ
λόγος κτέ.

idque eo magis, quia nunc video idem nuper placuisse, quamquam meae emendationis ignaro, Madvigio in *Adversariis Criticis*, qui quarto anno post prodierunt. Improbavit tamen, non redditis dissensionis suae rationibus, libelli mei censor anonymus.

In eadem fabula Sophoclea novum repperi exemplum frequentissimae confusionis literarum *O* et *Є*. Nam quicumque bene intellexerit argutam Tecmessae argumentationem in loco, qui est vs 265—277, dabit mihi male edi vs. 269:

ἡμεῖς ἆρ' οὐ νοσοῦντες ἀτώμεσθα νῦν.

sed scripsisse Sophoclem: οὐ νοσοῦντος (sc. Αἴαντος).

Quaerenti enim Tecmessae e choro:

Utrum, data tibi optione, praeferas tuam voluptatem, dolentibus propterea amicis, an communes tibi cum amicis dolores?

Chorus respondet:

Praeferam meam voluptatem, dolentibus amicis, quia simplex dolor minus gravis est quam duplex.

Tum Tecmessa:

Ergo nos, non aegrotante illo, *prorsus periimus.*

Chorus: *Non intellego.*

Tecm. *Aiax, quamdiu aegrotabat* (insaniebat) *ipse quidem gaudebat, sed nos furore suo reddebat miseros. Nunc contra redditus saluti et ipse gravi agitatur moerore, et nos nihil minus quam antea dolemus, quippe veriti, ne facinus ab eo hac nocte patratum Achivi graviter ulturi sint. Ergo nunc tam illius dolore quam nostro premimur, et duplex malum in simplicis mali locum successit.*

Quod erat demonstrandum.

Dudum reperta fuisset haec evidentissima emendatio, si interpretes attendissent ad vim verbi *ἀτᾶσθαι*, quod non de leviore infortunio dicitur sed de gravissima calamitate, qualis est h. l. *τὸ διπλάζον κακόν*, ut non ipsi tantum nostram sed simul alienam vicem doleamus.

In eodem *Aiace* vs. 376:

οὐ γὰρ γένοιτ' ἂν ταῦθ' ὅπως οὐχ ὧδ' ἔχειν

lubens deleverim literam finalem; quod enim vulgatur non magis Graecum esse puto quam si dicas, quod redit prorsus eodem: *οὐ γάρ ἐσθ' ὅπως ταῦτ' οὐχ ὧδ' ἔχειν* pro *ἔχει*, ut dicebant scribebantque omnes. Cf. O.R. 1058.

Pessime depravatus est eiusdem fabulae locus, qui inde a vs. 403 sic scriptus est in codicibus:

ποῖ τις οὖν φύγῃ;
ποῖ μολὼν μενῶ;
εἰ τὰ μὲν φθίνει, φίλοι τοῖσδ'
ὁμοῦ πέλας, μώραις δ' ἄγραις προσκείμεθα,
πᾶς δὲ στρατὸς δίπαλτος ἄν με
χειρὶ φονεύοι.

Metrum restituit Guil. Dindorfius reponendo:

εἰ τὰ μὲν φθίνει, φίλοι, τίσις δ'
ὁμοῦ πέλει κτὲ.

Minime tamen eam correctionem, quam recepit in ed. quinta Scenicorum, mihi quidem probavit, propterea quod verba *τίσις—πέλει*, per se non inepta, locum alienum occupare videntur, siquidem verbis *μώραις — προσκείμεθα*, quae pertinent ad illa: *εἰ τὰ μὲν φθίνει*, separantur a loco, ubi *τίσις* describitur, verbis: *πᾶς—φονεύοι*. Aliud igitur latere satis constat; verum quod prorsus certum sit ex absurdis istis vocabulis nemo facile eliciet. Poeta non foret indignum:

εἰ τὰ μὲν φθίνει, φίλοι, πολύς γ'
οἴμοι γέλως, μώραις δ' ἄγραις προσκείμεθα,

ut Aiax ad mentis sanitatem reversus deploret furibundum istud facinus, quo *γέλωτα ὀφλισκάνει* adversariis. Nam recte verba *τὰ μὲν φθίνει* de gregibus inimicorum loco interfectis interpretari videntur. *Ingens, vae mihi, risus!* i. e. *larga ridendi materies,* qua vi *γέλως* saepe a Graecis usurpari in

vulgus notum est. Nec sane ὁμοῦ πέλας et οἴμοι γέλως est violenta mutatio. At τοῖσδ' a πολύς γ' paullo longius distat, quam ut huic meaé coniecturae emendationis nomen vindicare audeam.

Ibidem 782:

εἰ δ' ἀπεςερήμεθα,
οὐκ ἔςιν ἀνὴρ κεῖνος, εἰ Κάλχας σοφός.

Badhamus coniecit:

εἰ δ' ἄρ' ὑςερήσαμεν.

At requiritur Perfectum, quod bene intellexit Madvigius, qui ipse reposuit formam non Graecam ἀφυςερήμεθα. Immo Badhami coniectura sic corrigatur, ut legamus:

εἰ δ' ἄρ' ὑςερήκαμεν,
οὐκ ἔςιν ἀνὴρ κεῖνος κτἑ.

In *Antigona* vs. 93 sqq. traditur heroina sorori Ismenae monenti ut ab incepto desistat et dicenti:

ἀρχὴν δὲ θηρᾶν οὐ πρέπει τἀμήχανα.

respondisse:

εἰ ταῦτα λέξεις, ἐχθαρεῖ μὲν ἐξ ἐμοῦ,
ἐχθρὰ δὲ τῷ θανόντι προσκείσει δίκῃ.

Emendationem aggressi sunt Dindorfii, par nobile fratrum, Guilielmus pro δίκῃ rescribendo κάσει, Ludovicus pro eodem vocabulo κάτω. Faciam cum Guilielmo, si prius demonstraverit Graece recte dici, ea sententia quam huius loci ratio requirit, ἐχθρὰ πρόσκειμαί τινι. Nam hoc verbum usurpari solet aut de iis, qui alios colunt suaque benevolentia et amicitia prosequuntur, aut de iis, qui aliquem hostiliter persequuntur et urguent. Verum hoc loco manifestum esse reor Antigonam dicere: ***Si haec dices, tam mihi odio eris quam iure ac merito in mortui odium incurres.***

Ne multa; scribendum videtur:

εἰ ταῦτα λέξεις, ἐχθαρεῖ μὲν ἐξ ἐμοῦ,
ἐχθρὰ δὲ τῷ θανόντι πρὸς δίκης ἔσει.

Ex archetypi codicis scriptura πρὸς ἔσει (δίκης written above) fiebat πρὸς ἔσει δίκης, quam lectionem leniter quidem sed absurde corrector refinxit in προσκείσει δίκῃ.

Ibidem vs. 225 sq. sic loquitur custos:

πολλὰς γάρ ἔσχον φροντίδων επιςάσεις
ὁδοῖς (?) κυκλῶν ἐμαυτὸν εἰς ἀναςροφήν·
ψυχὴ γάρ ηὔδα πολλά μοι μυθουμένη κτἑ.

Quo pacto interpretes tueantur vulgatam lectionem non me latet, sed vitae communis formnla ἔφασκε λέγων, quaeque similia ad h. l. afferunt, valde vereor ut sufficiant ad probandum egregium poetam tam ieiune scribere maluisse, quum et elegantius et aptius posset:

ψυχὴ γὰρ ηὔδα πολλὰ μοὐνθυμουμένῳ.

Verbum enim ἐνθυμεῖσθαι iunctum eum πολλά quam sit huic loco aptum fugiet neminem. Fore tamen praevideo qui hac mutatione me corrumpere clamitent custodis sermonem referentem vitae quotidianae colorem. Quasi vero istum quem volunt colorem reliqua eiusdem oratio referat.

Magis etiam dubitationi obnoxia est pars dialogi Creontis cum Haemone, quae inde a vs. 729 sic scribitur:

Haemon:

— εἰ δ' ἐγὼ νέος,
οὐ τὸν χρόνον χρὴ μᾶλλον ἢ τἄργα σκοπεῖν.

Creon:

ἔργον γάρ ἐςι τοὺς ἀκοσμοῦντας σέβειν;

Callide sanequam verba Creontis sic interpretantur, quasi hic ἔργον opponat τῷ πανούργημα, quo nomine Haemon id quod faceret appellare debuisset. At quum ἔργον sit vocabulum *medium,* quod non magis in bonam quam in malam partem sed in utramque solet usurpari, de istius interpretationis veritate vehementer dubito, neque assequor cur tam αἰνιγματωδῶς poetae loqui libuerit, ubi clare et apte poterat:

ἔργον γ' ἄριςον τοὺς ἀκοσμοῦντας σέβειν.

Optimum videlicet facinus cett. Simili ironia mox Haemon vs. 739 patri dicet:

καλῶς γ' ἐρήμης ἂν σὺ γῆς ἄρχοις μόνος.

Ibidem vs. 351 obiter dicam suspectum mihi esse tauri epitheton οὔρειον, praesertim quum animalibus *domesticis* proxime opponatur θὴρ ὀρεσσιβάτας, ex cuius glossemate ὀρείου facile correctoris culpa nasci potuit.

Quanto mallem: *ὑβρισὰν τ' ἀκμῆτα ταῦρον!* Cf. Eur. Bacch. 742. Ceterum vide O. R. 478, qui locus et ipse de vitio suspectus est.

Ibidem 417 sqq.:

καὶ τότ' ἐξαίφνης χθονὸς
τύφως ἀείρας σκηπτόν, οὐράνιον ἄχος,
πίμπλησι πεδίον, πᾶσαν αἰκίζων φόβην
ὕλης πεδιάδος, ἐν δ' ἐμεσώθη μέγας
αἰθήρ· μύσαντες δ' εἴχομεν θείαν νόσον.

Melius intellegetur, quo pacto dici potuerit *τύφως ἆραι σκηπτόν*, si scribemus magna litera initiali *Τύφως κτέ.* Insuper possis:

Χθονός
Τύφως

i. e. *Terrae filius Typhon*, secundum Hesiodum, omisso *παῖς*, ut dicitur a tragicis *Διὸς 'Αθάνα*, similia. Sed *χθονός* quominus retineatur non obnitar.

In ultimis quae adscripsi verbis infelicissime Madvigius:

μύσαντες δ' εἴχομεν θέᾳ νόσον

recte iam vituperatus ab Heimsoethio. Nihilominus ea verba vitio non vacant; nam quod praeëunte scholiasta interpretantur: ***clausis oculis tolerabamus divinitus immissum malum*** vim affert Graeco sermoni, siquidem *ἔχειν* pro *καρτερεῖν* vel, ut schol. explicat, *ἀντέχειν πρὸς* (*τὴν κόνιν*) est plane inauditum. Si satis constaret, ut amat Sophocles dicere *μύσας ἔχω* pro *μέμυκα*, ita ei scribere licuisse *μύσας εἶχον* pro *ἐμεμύκη*, punctum temporis non dubitarem reponere:

μύσαντες δ' εἴχομεν θείᾳ νόσῳ.

i. e. ***clausos tenebamus oculos propter malum divinitus immissum***, metuentes, opinor, ne pulvere occaecarentur, non »quod oculos claudunt" verba sunt Dindorfii »qui adversus magnum aliquod periculum animum offirmant." Quamdiu vero ea res demonstrari nequit, *ἐφεκτέον*.

Ibidem vs. 569:

ἀρώσιμοι γὰρ χἀτέρων εἰσὶν γύαι.

Forma hoc unico loco lecta pro *ἀρόσιμοι*, ut secundum analogiam dicebant Graeci omnes. Habet autem in Laurentiano haec vox omicron superscriptum a manu prima. Nescio igitur an genuina lectio haec sit:

(*ἀλλ'*) *ἀρόσιμοι γὰρ χἀτέρων εἰσὶν γύαι.*

Vocula *ἀλλά* facillime elabi potuit propter simile initium versus praecedentis.

Ibidem vs. 1276 sqq. Creontem cum filii cadavere redeuntem domum, ubi uxorem sua manu interemptam inventurus est, his verbis alter nuntius alloquitur:

> ὦ δέσποθ', ὡς ἔχων τε καὶ κεκτημένος,
> τὰ μὲν πρὸ χειρῶν τάδε φέρων, τὰ δ' ἐν δόμοις
> ἔοικας ἥκειν καὶ τάχ' ὄψεσθαι κακά.

Scribae non intelligentes voculam *καὶ* h. l. non esse **copulativam**, sed **intensivam** dederunt quod vides, quum Sophocles scripsisset, quod loci ratio flagitat:

> τὰ δ' ἐν δόμοις
> ἔοικας ἥκων καὶ τάχ' ὄψεσθαι κακά.

Καὶ τάχα dictum ut *καὶ πάνυ*, *καὶ μάλα*, *καὶ σφόδρα*, alia multa. Verba autem *ὡς ἔχων τε καὶ κεκτημένος* aliis melius quam hucusque factum est interpretanda aut emendanda commendo.

Dubito, num satis recte ab editoribus distinctus sit locus, qui legitur in *Oedipo Coloneo* vs. 542 sqq:

> Chorus. δύςανε, τί γάρ; ἔθου φόνον;
> Oedipus. τί τοῦτο; τί δ' ἐθέλεις μαθεῖν;
> Chor. πατρός; Oed. παπαῖ, δευτέραν ἔπαισας ἐπὶ νόσῳ νόσον.

Nam *παίειν νόσον* aeque insolita est verborum compositio atque usitata est elliptica locutio *παίειν δευτέραν* pro *δευτέραν πληγήν*. Hinc diligenter videndum, annon potius poeta verba *ἐπὶ νόσῳ νόσον* voluerit collocata esse in appositione vocabuli *δευτέραν*, quod propter sollennem vocabuli *πληγήν* omissionem, substantivi vice fungitur. Quod si ita est, virgula ponenda post *ἔπαισας*.

Maioris momenti est emendatio eorum quae sine vitii suspicione leguntur ibidem vs. 772 sqq., ubi miser senex haec ad Creontem:

> νῦν τ' αὖθις ἡνίκ' εἰσορᾷς πόλιν τέ μοι
> ξυνοῦσαν εὔνουν τήνδε καὶ γένος τὸ πᾶν,
> πειρᾷ μετασπᾶν, σκληρὰ μαλθακῶς λέγων.

Non multis verbis opus mihi erit ad demonstrandum post *πόλιν τήνδε* abundare, quod praeterea permire dictum est, *καὶ γένος τὸ πᾶν*. Contra desideratur fere mentio Thesei, cuius benevolentiam Oedipus non minoris, opinor, faciebat quam populi Atheniensis.

Hinc ipsam Sophoclis manum me restituisse puto rescribens:

νῦν τ' αὖθις ἡνίκ' εἰσορᾷς πόλιν τέ μοι
ξυνοῦσαν εὔνουν τήνδε κἀγ έως τόκον,
πειρᾷ μετασπᾶν κτέ.

Cf. vs. 69, 549, 607, 940 cett. E veteri scriptura *ΚΑΙΓΕΟCΤΟΚΟΝ* non intellecta crasi quam facile nasci potuerit *ΚΑΙΓΕ̄ΟCΤΟΠΑΝ* cadit in oculos.

Conclamatus fere est locus, qui in eodem dramate legitur inde a vs. 813 ita scriptus:

Oed. *ἄπελθ', ἐρῶ γὰρ καὶ πρὸ τῶνδε, μηδέ με*
φύλασσ' ἐφορμῶν ἔνθα χρὴ ναίειν ἐμέ.
Creon. *μαρτύρομαι τούσδ' οὐ σὲ πρὸς δὲ τοὺς φίλους*
οἰ' ἀνταμείβει ῥήματ', ἤν σ' ἕλω ποτέ.
Oed. *τίς δ' ἄν με τῶνδε συμμάχων ἕλοι βίᾳ;*

Verba Creontis sic in novissima editione constituit de coniectura sua Dindorfius:

μαρτύρομαι τούσδ', οὐχί σ', ὃς γνώσει φίλους
οἷ' ἀνταμείβει κτέ.

Quae parum probabilis est ex mea quidem sententia suspicio, tum quia nimis neglecta sunt antiquae scripturae vestigia, tum quod parum veri simile videtur, Creontem coram choro, quem non vult sibi reddere inimicnm, minitari Oedipo poenas, si quando eum cepisset. Si quid video, Creon hoc dicere debet: *Hosce facio mihi testes, non te* (qui ira occaecatus non vides neque meam erga te benevolentiam nec quam inique mihi respondeas) *si quando te cepero, quam iniquis verbis respondeas mihi ad ea quae benevole tibi* (modo) *proposui.* Cf. vs. 740 sqq. *Hi,* inquit, *tunc testabuntur me tua asperitate et obstinatione coactum esse, ut invitum te hinc abducerem.* Suspicor igitur:

μαρτύρομαι τούσδ', οὐ σε, πρὸς λόγους φίλους
οἷ' ἀνταμείβει ῥήματ', ἤν σ' ἕλω ποτέ.

Sic nihil mutatur nisi *ΔЄΤΟΥC* in *ΛΟΓΟΥC*. Elicuit autem Creonti illud *οὐ σέ* Oedipi dictum: *ἐρῶ γὰρ καὶ πρὸ τῶνδε.*

Ibidem vs. 1568 sqq:

ὦ χθόνιαι θεαὶ σῶμά τ' ἀνικάτου
θηρὸς, ὃν ἐν πύλαισι
φασὶ πολυξένοις
εὐνᾶσθαι κνυζᾶσθαί τ' ἐξ ἄντρων
ἀδάματον φύλακα παρ' Ἀίδᾳ
λόγος αἰὲν ἔχει.

Non facile adducar Sophoclem opus duxisse in tam brevi sententia bis adhibere verbum dicendi, primum pedestre *φασί*, deinde poeticum *λόγος αἰὲν ἔχει*. Abiecto enim verbo *φασίν*, tota sententia *ὃν — παρ' Ἀίδᾳ* commode suspensa erit e tribus illis vocabulis. Qua de causa scribam:

ὃν ἐν πύλαισι
ταῖσι πολυξένοις κτέ.

Qua emendatione praeterea lucramur res duas: articulum, quo in huiuscemodi loco vel apud poetam aegre caremus, et aptiorem sententiam. Ex tradita enim lectione ineptissime *αἰὲν* refertur ad solum verbum *κνυζᾶσθαι*, non ad praegressum *εὐνᾶσθαι*.

Ibidem vs. 1657 sqq:

οὐ γάρ τις αὐτὸν οὔτε πυρφόρος θεοῦ
κεραυνὸς ἐξέπραξεν οὔτε ποντία
θύελλα κινηθεῖσα κτέ.

Iure mireris h. l. memorari procellam *maritimam*, quae Oedipo in *terra* versanti nocere non posset, ubi potius *terrestris* fuerat nominanda. Vel si liceat interpretari *tempestas mari orta et inde terrae ingruens*, habet id epitheton aliquid tam longe quaesiti, ut ab ipso poeta non potuisse proficisci mihi persuadeam.

Quanto aptius foret, quod a tradita lectione prope abest:

οὔτε φοινία
θύελλα κτέ.

Φοινία enim a tragicis figurate dici solet res quaevis *funesta*. Aiac. 352 *ἴδεσθέ μ' οἷον ἄρτι κῦμα φοινίας ὑπὸ ζάλης ἀμφίδρομον κυκλεῖται.* Cf. O. R. 24. Eur. Io. 1263.

Electrae vs. 409 sq. heroina e sorore inferias iussu Clytaemnestrae ferenti ad patris tumulum quaerit:

ἐκ τοῦ φίλων πεισθεῖσα; (sc. mittit te mater) *τῷ τοῦτ' ἤρεσεν;*

ad quae haec respondet Chrysothemis:

ἐκ δείματός του νυκτέρου, δοκεῖν ἐμοί.

Ne bis prorsus idem roget, utque melius quadret responsum, malim:

πῶς τοῦτ' ἤρεσεν;

Ibidem vs. 560 sqq.: λέξω δέ σοι
ὡς οὐ δίκῃ γ' ἔκτεινας, ἀλλά σ' ἔσπασεν
πειθὼ κακοῦ πρὸς ἀνδρὸς κτέ.

Electra haec deinde longa oratione *demonstrat*, scripsitque, si quid iudico, Sophocles:

δείξω δέ σοι κτέ.

Saepe ΛΕΞΩ et ΔΕΙΞΩ a scribis confundi non est quod miremur. Videatur Porsonus ad Phoen. 540.

Ibidem vs. 472 sqq.:

εἰ μὴ 'γὼ παράφρων μάντις ἔφυν καὶ γνώμας
λειπομένα σοφᾶς,
εἶσιν ἁ πρόμαντις
Δίκα, δίκαια φερομένα χεροῖν κράτη·
μέτεισιν, ὦ τέκνον, οὐ μακροῦ χρόνου.

Quicumque mecum fastidit interpretationes artificiosas, intelliget πρόμαντις esse calami lapsum pro eo quod loci sententia flagitat πρόφαντος. Interpretor: *veniet praedicta* (Clytaemnestrae per somnium Cf. 417 sqq.) *Poena, iustam afferens manibus victoriam*. Cf. Trach. 1159: ἐμοὶ γὰρ ἦν πρόφαντον ἐκ πατρὸς πάλαι τῶν ἐμπνεόντων μηδενὸς θανεῖν ὕπο et ibidem 1163, quemadmodum προφαίνειν de vaticiniis dici solet. Optime igitur hoc vocabulum respondet praegresso substantivo μάντις, quod quum librario esset ἔναυλον, errori ansam dedisse videtur.

Ibidem vs. 1285 sqq.:

νῦν δ' ἔχω σε· προυφάνης δὲ
φιλτάταν ἔχων πρόσοψιν,
ἃς ἐγὼ οὐδ' ἂν ἐν κακοῖς λαθοίμαν.

Quisquis quam misere langueat in hac sententia οὐδ' ἂν ἐν κακοῖς mecum monitus persentiet, assentietur fortasse corrigenti: οὐδ' ἂν ἐν τάφοις i. e. *ne mortua quidem*. »Hectors Liebe stirbt im Lethe nicht." Cf. O. R. 942. El. 433. O. C. 411, 1410.

Philoctet. vs. 451 sq:

ποῦ χρὴ τίθεσθαι ταῦτα, ποῦ δ' αἰνεῖν, ὅταν
τὰ θεῖ' ἐπαινῶν τοὺς θεοὺς εὕρω κακούς;

Pro inepto ἐπαινῶν, quod labem concepit e vicino verbo αἰνεῖν, suspicor Sophoclem scripssise ἐρευνῶν, cui apte respondet sequens εὕρω.

Ex eodem fonte manavit error, qui obsidet *Trachiniarum* locum vs. 357 sq.:

οὐ τἀπὶ Λυδοῖς οὐδ' ἐπ' Ὀμφάλῃ πόνων
λατρεύματ' οὐδ' ὁ ῥιπτὸς Ἰφίτου μόρος.

Poeta enim, ut puto, distinxerat locum ubi servitutem serviebat Hercules et dominam, quae servilem operam ei imponebat, scribendo:

οὐδ' ὑπ' Ὀμφάλῃ πόνων
λατρεύματα κτέ.

Ibidem vss. 351 sqq. turbatum videtur in legitimo versuum ordine, sic, nisi fallor, restituendo:

τούτου λέγοντος τἀνδρὸς εἰσήκουσ' ἐγὼ
πολλῶν παρόντων μαρτύρων, ὡς τῆς κόρης
ταύτης ἕκατι κεῖνος Εὔρυτόν θ' ἕλοι
354 τήν θ' ὑψίπυργον Οἰχαλίαν, Ἔρως δέ νιν,
358 ὃν νῦν παρώσας οὗτος ἔμπαλιν λέγει,
355 μόνος θεῶν θέλξειεν αἰχμάσαι τάδε,
356 οὐ τἀπὶ Λυδοῖς οὐδ' ὑπ' Ὀμφάλῃ πόνων
357 λατρεύματ' οὐδ' ὁ ῥιπτὸς Ἰφίτου μόρος.
359 ἀλλ' ἡνίχ' οὐκ ἔπειθε κτέ.

Durissime enim in tradito libris ordine vs. 358, qui arcte cohaeret cum vs. 354, sequitur demum post vs. 357; quae res est eo incommodior, quod is versus terminatur substantivo masculino μόρος, quo nemo non primo obtutu referet pronomen relativum ὅν, quod vs. 358 facit initium.

CAPUT III.

AD EURIPIDEM.

Piersoni correctio nescio an immerito hodie ab omnibus recepta sit in *Rhesi* vs. 204, ubi Hectori quaerenti:

εἴπ' εἴ τιν' ἄλλην ἀντὶ τῆσδ' ἕξεις ϛολήν.

respondet Dolon:

πρέπουσαν ἔργῳ κλωπικοῖς τε βήμασιν.

Ita enim ille rescripsit, quum sit in codicibus ἐπεὶ τίν' vel εἴπ' ἤ τίν'.

At parum apte hoc modo is interrogatur qui aliam vestem se induturum esse modo disertis verbis declaraverat dicendo:

ἐλθὼν δ' εἰς δόμους ἐφέςιος
σκευῇ πρεπόντως σῶμ' ἐμὸν καθάψομαι.

Insuper, ni fallor, sic roganti, ut oratio esset bene Graeca, respondendum fuerat addita vocula γε:

πρέπουσάν γ' ἔργῳ κτέ.

quomodo non scriptum esse ab Euripide metro evincitur. Quid ergo? Aut fallor, aut dederat:

εἴφ' ἥντιν' ἄλλην ἀντὶ τῆσδ' ἕξεις ςολήν.

Quod in parte codicum exstat εἴπ' ἤ τίν', neglecta lineola literam *N* indicante, leviter depravatum est ex εἰπὲ ἥτιν' = εἴφ' ἥντιν'.

Laborat sententia in *Alcestidis* vs. 62 :

οὐκ ἂν δύναιο πάντ' ἔχειν ἃ μή σε δεῖ.

Numne enim Mors Apollini, cui haec dicit, concedit, ut habeat quaedam, quae non oporteat? Vix puto, sed librarius in *ЄΧЄΙΝΧΑ* facili errore alterum *X* neglexisse suspicor, poetaeque manum esse hanc:

οὐκ ἂν δύναιο πάντ' ἔχειν, χἃ μή σε δεῖ.

i. e. *non possis habere omnia, etiam ea quae te non oportet habere.*

Non magis expedio quae leguntur ibidem vs. 320 sq.:

καὶ τόδ' οὐκ εἰς αὔριον
οὐδ' εἰς τρίτην μοι μηνὸς ἔρχεται κακόν.

ubi cur μηνός addatur neutiquam assequor. Quod sermone pedestri dicitur εἰς τρίτην (ἡμέραν), ornatius Euripides mihi videtur reddidisse scribendo:

οὐδ' εἰς τρίτον μοι φέγγος ἔρχεται κακόν.

Cf. vs. 1146 et Hecub. 32.

In dialogo Creontis et Medeae in cognomine huic fabula Euripidea vs. 328 sq. cum exclamatione miserae mulieris:

ὦ πατρίς, ὥς σου κάρτα νῦν μνείαν ἔχω.

melius cohaerebit dictum Creontis:

πλὴν γὰρ τέκνων ἔμοιγε φίλτατον πόλις.

si corrigetur:

πλὴν γὰρ τέκνων κἄμοιγε φίλτατον πόλις.

Quamvis ita legi longe malim, nihil tamen temere novandum. Potuit enim Creon, neglecta illa voce Medeae, simpliciter pergere in iis, quae dicere instituerat.

In verbo μεταςένειν (μεταςένεσθαι) praepositio eandem vim habet quam in μεταμέλεσθαι, μετανοεῖσθαι, μεταγιγνώσκειν, aliis multis, usurpaturque de iis, quos poenitet eorum quae ipsi commiserunt aut propria culpa passi sunt. Non igitur satis recte habere videntur verba chori in *Medea* vs. 996 sqq.:

μεταςένομαι δὲ σὸν ἄλγος, ὦ τάλαινα παίδων
μᾶτερ, ἃ φονεύσεις
τέκεα νυμφιδίων ἕνεκεν λεχέων, ἅ σοι προλιπὼν ἀνόμως
ἄλλᾳ ξυνοικεῖ πόσις ξυνεύνῳ

Corrigam: μέγα ςένομαι δὲ κτέ.

Perpetrata liberorum caede, advenit Iason exclamans vs. 1314 sqq.:

χαλᾶτε κλῇδας ὡς τάχιςα, πρόσπολοι,
ἐκλύεθ' ἁρμούς, ὡς ἴδω διπλοῦν κακόν,
τοὺς μὲν θανόντας, τὴν δὲ τίσωμαι φόνῳ.

Permire dictum διπλοῦν κακόν simul de puerorum caede et de nece quam ipse uxori intentet, siquidem, quo erat furore Iason, ista vindicta *dulcis* ipsi debebat videri. A tam egregio affectuum pictore quam est Euripides potius expectes:

ὡς ἴδω διπλοῦν κακόν,
τοὺς μὲν θανόντας, τὴν δὲ λυσσῶσαν φόνῳ.

Qua correctione simul molestissima anacoluthia liberatur oratio.

Non a sententia sed a sermonis proprietate laborat *Hippolyti* versus 663:

τῆς σῆς δὲ τόλμης εἴσομαι γεγευμένος.

Docet enim loci contextus, ut vere monuit Henricus Weilius (Sept tragédies d'Euripide. Paris, 1868), ad cuius disputationem lectorem relego, εἴσομαι non derivatum esse ab οἶδα, sed esse verbum *veniendi*. Cf. vs. 661. Suspectum tamen praesertim in dialogo hoc futurum epicum, quo nusquam alibi poetae tragici usi sunt. Idcirco non dubito, quin εἴσομαι depravatum sit ex

ἴξομαι, idque iam antiquissimo tempore: nam scholiastam agnoscere *εἴσομαι* ex eius adnotatione apparet.

Ibidem vs. 365 sq.:

ὦ τάλαινα τῶνδ' ἀλγέων,
ὦ πόνοι τρέφοντες βροτούς.

In frequentissima utriusque verbi confusione dubium est, utrum sic scripserit poeta, an quod fere malim:

ὦ πόνοι στρέφοντες βροτούς.

i. e. *versantes, torquentes, agitantes.* Vide v. c. Platon. Rep. I, p. 330 D. Cum vulgata lectione H. Weilius comparat Soph. O. R. 374.

Ibidem vs. 449 sq:

ἥδ' (sc. Venus) *ἐστιν ἡ σπείρουσα καὶ διδοῦσ' ἔρον,*
οὗ πάντες ἐσμὲν οἱ κατὰ χθόν' ἔκγονοι.

Expectabam:

ἥδ' ἐστιν ἡ σπείρουσα καὶ τίκτουσ' ἔρον κτἑ.

Venus seminat (i. e. facit, ut concipiatur in hominum pectoribus) et parit amorem. Post figuratum illud *σπείρουσα* alterum participium vehementer friget.

Androm. vs. 936:

κἀγὼ κλύουσα τούσδε Σειρήνων λόγους,
σοφῶν πανούργων ποικίλων λαλημάτων,
ἐξηνεμώθην μωρίᾳ.

Substantivum *λάλημα* dictum pro *ἀδολέσχης* praeterquam h. l. olim edebatur apud Sophoclem Antig. 320, ubi Creon ad custodem:

οἴμ' ὡς λάλημα δῆλον ἐκπεφυκὸς εἶ.

In codice Laurentiano m. pr. habet *ἀλάλημα* eraso *α*. At schol. legit *ἄλημα*, quod iure recepit Dindorfius. Ergo vocabulum *λάλημα* hac usurpatum solo nititur loco ex Andromacha, tenui sane tibicine, quoniam nihil impedire videtur, quominus hoc quoque loco rescribamus:

σοφῶν πανούργων ποικίλων ἀλημάτων.

Vocabulum scribis non intellectum de industria mutatum esse non est quod magnopere admiremur.

Gravi corruptela laborat Hecubae oratio ad Ulyssem *Hec.* vs. 234 sqq.:

εἰ δ' ἔςι τοῖς δούλοισι τοὺς ἐλευθέρους
μὴ λυπρὰ μηδὲ καρδίας δηκτήρια
ἐξιςορῆσαι, σοὶ μὲν εἰρῆσθαι χρεών,
ἡμᾶς δ' ἀκοῦσαι τοὺς ἐρωτῶντας τάδε.

Sententiae procul dubio satisfacit Weilii coniectura: σὲ μὲν ἐρωτᾶσθαι χρεών, num ipsa verba assecutus sit, valde dubito. Paullo enim et lenius et, nisi fallor, elegantius possis:

σὲ μὲν (ἀμ)είβεσθαι χρεὼν κτέ.

ne idem verbum ἐρωτᾶν tam brevi spatio ter occurrat. Nam respondet Ulysses: ἔξες', ἐρώτα. Insuper meae coniecturae forsitan plus faveat Scholiastae adnotatio: σοὶ μὲν πρέπει ἀπολογεῖσθαι πρὸς τὰ ἐρωτώμενα.

Duae praepositiones confusae sunt ibidem vs. 1172 sqq., ubi describitur Polymnestoris occaecatio:

εἶτ' ἀνὰ ςέγας
φυγάδες ἔβησαν· ἐκ δὲ πηδήσας ἐγὼ
θὴρ ὥς, διώκω τὰς μιαιφόνους κύνας,
ἅπαντ' ἐρευνῶν τοῖχον ὡς κυνηγέτης.

Mulieres Troianae non profugiunt foras sed *per aedes* diffugiunt; certe *intus* hanc illamve earum rex Thracum correpturum sese sperat. Inde, credo, apparet parum apte usurpari verbum ἐκπηδᾶν, quod pro ἀναπηδᾶν poni non solet. Legendum puto:

ἐν δὲ πηδήσας ἐγὼ κτέ.

scil. ταῖς γυναιξίν. Et ita melius intellegitur, cur addatur θὴρ ὥς.

Litera expungenda videtur in versu 1270 eiusdem fabulae:

θανοῦσα δ' ἢ ζῶσ' ἐνθάδ' ἐκπλήσω βίον.

Quaerit haec Troianorum quondam regina e Polymnestore, in canem ipsam mutatum iri vaticinato, nec potest esse dubium, quin roget, *moriensne an viva hanc formae mutationem subitura sit*. Neque hoc criticos fefellit, sed perperam vitii sedem quaesiverunt vel in ἐκπλήσω vel in βίον, πόρον aut πότμον conicientes et nuperrime Weilius ἐκςήσω. Leniter ille quidem, sed non facile evincet ἐνθάδ' ἐκςήσω βίον Graece dici posse pro μεταβαλῶ τὸν βίον ἐς τάδε, et si dici posset, iusto tamen obscurius poetam ita locutum esse foret concedendum. Aliquanto enim, ni fallor, et clarius et aptius poeta olim scripserat:

θανοῦσα δ' ἢ ζῶσ' ἠθάδ' ἐκπλήσω βιον;

Hecuba vitam humanam, quam opponit vitae caninae (*τῷ καινῷ βίῳ*) vocat *βίον ἠθάδα* i. e. *vitam solitam, consuetam.* Cf. Cyclop. 249: *τὰ καινά γ' ἐκ τῶν ἠθάδων ἡδίον' ἐςίν.* Cf. Arist. Eccl. 584. *Ὀξυμώρως* Hecuba quaerit: ***Moriens an viva explebo vitam solitam*** (*et nova eam permutabo*)? Vides autem, quam facile *ΕΘΑΔ* haberi potuerit pro *ΕΘΑΔ*, i. e. *ἐνθάδ'*.

Frequens librariorum error castigandus in nuntii oratione *Phoeniss.* 1406 sq.:

κἂν τῷδε μόχθῳ γυμνὸν ὦμον εἰσιδὼν
ὁ πρόσθε τρωθεὶς ςέρνα Πολυνείκους βίᾳ
διῆκε λόγχην, κἀπέδωκεν ἡδονὰς
Κάδμου πολίταις.

Eteocles, qui prius vulnere suo afflixerat cives suos et gaudio perfuderat hostes (vs. 1395 *ςρατὸς δ' ἀνηλάλαξε Δαναϊδῶν ἅπας*) nunc vicissim vulnerato Polynice non *ἀπέδωκεν* sed:

κἀντέδωκεν ἡδονὰς
Κάδμου πολίταις.

Prorsus eodem modo peccatum videtur apud Aristophanem *Ran.* vs. 1099 sqq.:

μέγα τὸ πρᾶγμα πολὺ τὸ νεῖκος ἁδρὸς ὁ πόλεμος ἔρχεται·
χαλεπὸν οὖν ἔργον διαιρεῖν,
ὅταν ὁ μὲν τείνῃ βιαίως,
ὁ δ' ἐπαναςρέφειν δύνηται κἀπερείδεσθαι τορῶς.

ubi paullo aptius est *κἀντερείδεσθαι.*

Supplic. vs. 73 sqq. merito viri docti haeserunt in adiectivo *ξυναλγηδόνες*, ubi chorus canit:

ἴτ' ὦ ξυνῳδοὶ κακοῖς,
ἴτ' ὦ ξυναλγηδόνες
χόρον τὸν Ἅιδας σέβει,
διὰ παρῆδος ὄνυχα λευκὸν
αἱματοῦτε χρῶτά τε φόνιον κτέ.

Hartungius coniecit:

ἴτω ξυνῳδὸς γόοις
ἴτω ξυναλγῶν κακοῖς
χορὸς τὸν Ἅιδας σέβει, κτέ.

Aliter Heimsoethius, qui nuperrime in *Commentatione altera de Madvigii Havniensis adversariis Criticis* p. 21 totum locum sic constituit:

ἴτ' ὦ ξυνῳδοὶ κακοῖς,
ἴτ' ὦ ξυναλγεῖς δύαις,
χορὸν τὸν Ἅιδου σέβειν,
διὰ παρῆδος ὄνυχι λευκὸν
αἱματοῦτε χρῶτά τεφόνιον.

Quae remedia utrumque violenta, ideoque ad persuadendum parum idonea, longe tamen praeferenda sunt Madvigianae hariolationi:

ἴτ' ὦ ξυνάλγεινον ἐς
χόρον τὸν Ἅιδας σέβει κτέ.

nam ξυνάλγεινος imperite formatum est, nec quid sibi velit satis intelligitur. Quippe ἀλγεινός active Graece dicitur qui dolore afficit, non qui dolet usurpaturque tantummodo de *rebus*. Hoc nomine certe praestaret:

ἴτ' ὦ ξυναλγήμονες
χόρον κτέ.

nam et ἰέναι χόρον pro ἐς χόρον sermone poetico recte dicitur et ξυναλγήμων formatum erit ad analogiam adiectivorum ἐπιλήσμων, μεθήμων, νοήμων, ἐλεήμων, αἰδήμων, aliorum. Etiam πενθήμων ap. Aeschylum Agam. 410 semel dictum est. Hoc tamen obstat, quod hoc genus adiectivorum significat *proprietatem*, non quod h. l. requiritur *conditionem*. Quocirca haud dubie loco magis conveniret participium ξυναλγῶν, de quo cogitavit Hartungius. Mihi locus videtur ita corruptus, ut satius sit abstinere manus.

Ibidem vs. 104:

πότνια γὰρ Δίκα τάδ' οὐ πείσεται.

Ultimam vocem labem concepisse putavit Elmsleius, quod οὐ πείσομαι pro οὐκ ἐάσω (s. οὐ περιόψομαι) non sit Graecum. Graecum non esse viro praeclaro planissime assentior, neque dubito quin Cobetus V. L. p. 284 bene correxerit locum Herodoti IV. 119 (¹). Quaeritur autem, num forte πείσεται sit h. l. futurum verbi πάσχειν, ut liceat interpretari: *Venerabilis enim Dice haec non experietur* i. e. non tanta afficietur iniuria, ut quos protegit supplices per vim ab aris abstrahantur: quam rem ego spondeo. Minus tamen obscure dictum foret, quod olim mihi venit in mentem:

(¹) Adhibita eadem, qua Cobetus verba Herodoti sanavit medela, salvus erit HEGESIPPI locus in oratione *de Halonneso* § 6: τοῦτο δ' ὑμῖν οὐ ποιητέον ἐςίν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ubi praegressa me iudice clamant scribendum esse ποπτέον, i. e. περιοπτέον pro ποιητέον.

πότνια γὰρ Δίκα τάδ' οὐ λήσεται.

i. e. ***non obliviscetur, sed ulciscetur.*** Neutrum autem plurale pronominis non minus recte in Accusativo cum hoc verbo iungitur quam cum *τυγχάνειν* aliisque verbis Genetivum regentibus.

Ibidem vs. 168 sqq. haec ad Theseum Adrastus:

σῶσον νεκρούς μοι, τἀμά τ' οἰκτείρας κακὰ
καὶ τῶν θανόντων τάσδε μητέρας τέκνων,
αἷς γῆρας ἥκει πολιὸν εἰς ἀπαιδίαν,
ἐλθεῖν δ' ἔτλησαν δεῦρο καὶ ξένον πόδα
θεῖναι.

Ita cod. C., ut videtur, estque haec scriptura manus secundae in libro P., qui habet a prima:

ἐλθεῖν δ' ἔτλησαν ἔξοροι ξένον πόδα κτέ.

Non potest me iudice dubitari, quin *ἔξορον* (nam sic leniter refingo vocabulum de industria, ut ad praegressum *μητέρας* referri posset, mutatum) sit genuinum (= *ἐξόριον*. Cf. *σύνορος* et *ὅμορος*) et iungendum sit *ἔξορον πόδα θεῖναι*, i. e. ***pedem ponere extra patriae fines in solo peregrino.*** Fuit quondam, ni egregie fallor, in utriusque codicis archetypo haec scriptura:

ξένον
ἐλθεῖν δ' ἔτλησαν δεῦρο καὶ ἔξορον πόδα
θεῖναι.

Quem qui descripsit glossema ad textum pertinere ratus dedit:

ἐλθεῖν δ' ἔτλησαν δεῦρο καὶ ξένον πόδα

eiecta glossa pro glossemate, quae lectio hodie occupat editiones; alius vero scriba, servato utroque et deletis verbis necessariis *δεῦρο καί*:

ἐλθεῖν δ' ἔτλησαν ἔξορον ξένον πόδα

unde sive casu, sive, quod suspicor, de industria levi facta mutatione m. 1 Cod. P.:

ἐλθεῖν δ' ἔτλησαν ἔξοροι ξένον πόδα.

Ergo reponere non dubitem, licet aliud placuerit Kirchhoffio:

ἐλθεῖν δ' ἔτλησαν δεῦρο κἄξορον πόδα
θεῖναι.

Hoc igitur loco, quem de industria fusius tractavi, scripturae varietas etiamnum arguit fraudem olim commissam. Dici autem vix potest quantus locorum numerus simili modo sit depravatus. Nemo facile philologorum in hoc errorum genere detegendo et corrigendo plus praestitisse censendus est quam professor Bonnensis, Fredericus Heimsoethius, homo et valde ingeniosus et magistellorum glossatorumque mysteriis, ut nemo supra possit, initiatus. Iuvat h. l. apponere quaedam in hoc genere a me ipso observata.

Huc igitur pertinet locus *Hippolyti* vs. 1074 sqq.:

Hipp. ὦ δώματ', εἴτε φθέγμα γηρύσαισθέ μοι
καὶ μαρτυρήσαιτ' εἰ κακὸς πέφυκ' ἀνήρ.
Thes. ἐς τοὺς ἀφώνους μάρτυρας φεύγεις; σαφῶς
τόδ' ἔργον οὐ λέγον σε μηνύει κακόν.

Sive sic legimus, sive cum Dindorfio ex uno codice *B.* φεύγεις σοφῶς, τὸ δ' ἔργον κτέ, hoc certum videtur poetam opponere voluisse inter se τοὺς ἀφώνους μάρτυρας et facinus non, ut hodie scribitur, *mutum*, sed quomodo Demosthenes ait, μονονουχὶ φωνὴν ἀφιέν. Puto enim hanc esse genuinam poetae manum:

εἰς τοὺς ἀφώνους μάρτυρας φεύγεις; σαφῶς
τόδ' ἔργον οὐ σιγῶν σὲ μηνύει κακόν.

Quasi Theseus dicat: ὦ μῶρε σύ, ὅςις βοῶντος τοῦ ἔργου, ἐς ἀφώνους μάρτυρας καταφεύγεις, aut, si codicem *B.* sequi mavis: σοφῶς μὲν δοκεῖς καταφεύγειν ἐς ἀφώνους τινὰς μάρτυρας, οἱ δ' οὐδέν σε ὀνήσουσιν, ἐπεὶ οὐκ ἄφωνον ὂν τὸ ἔργον ἀδικοῦντά σε μηνύει. Interpretamentum λέγον vocabulis οὐ σιγῶν superscriptum pro hoc participio in textum se insinuasse vides.

Helen. 774 sq.:

ἓν δ' εἰπὲ πάντα παραλιπών, πόσον χρόνον
πόντου 'πὶ νώτοις ἅλιον ἐφθείρου πλάνον.

Qui πάντα παραλείπει, nihil dicit, qua de causa suspicor:

ἓν δ' εἰπὲ τἄλλα παραλιπών, κτέ.

quae corruptela facile explicetur, si sumamus magistellum τἄλλα iure suo interpretatum esse: πάντα τἄλλα (Vide v. c. Dem. XIX, 288) et deinde prius vocabulum substitutum esse pro posteriore.

In Euripidis *Electra* legimus vs. 640 sqq.:

Or. ἡ τεκοῦσα δ' ἐςὶ ποῦ;
El. Ἄργει · παρέςαι δ' ἐν πόσει θοινὴν ἔπι.

Coniectum est: ἐν τάχει, ἐν βραχεῖ, ᾧ πόσει, σὺν πόσει, ἐν μέρει, alia. Quarum coniecturarum primam recepit Dindorfius. Mihi aliquanto videtur probabilius δ' ἐν πόσει metri gratia olim correctum esse pro δὲ πόσει, πόσει vero e versu sequenti:

τί δ' οὐχ ἅμ' ἐξωρμᾶτ' ἐμὴ μήτηρ πόσει

tamquam glossema superscriptum fuisse vocabulo rariori, in cuius deinde locum inrepserit, et scripsisse quondam poetam:

παρέςαι δ' εὐνέτῃ θοινὴν ἔπι.

Herc. Fur. vs. 1271 sqq.:

ποίους ποθ' ἢ λέοντας ἢ τρισωμάτους
τυφῶνας ἢ Γίγαντας ἢ τετρασκελῆ
κενταυροπληθῆ πόλεμον οὐκ ἐξήνυσα;

Non praesto Euripidem non potius scripsisse κενταυρόμιλον πόλεμον, quia ὅμιλος et ὁμιλεῖν sunt *belli* propria. Certe κενταυροπληθὴς πόλεμος subobscure et parum eleganter dictum videtur pro *bellum adversus centauros*, quod altero vocabulo tam apte quam ornate significatur. Et solent ferme Grammatici ὅμιλος explicare per πλῆθος. Vide v. c. Hesychius i. v.

Longe tamen certius arbitror aliquid huiuscemodi peccatum esse in *Oreste* vs. 12 sqq.:

τοῦ δ' Ἀτρεὺς ἔφυ,
ᾧ ςέμματα ξήνασ' ἐπέκλωσεν θεὰ
ἔριν, Θυέςῃ πόλεμον ὄντι συγγόνῳ
θέσθαι.

Prave enim dictum videtur ἐπέκλωσεν ἔριν — πόλεμον θέσθαι. Euripides h. l. improprie usus est vocabulo πόλεμος pro *gravi contentione* eaque fuit magistellis causa cur adscriberent interpretamentum ἔριν, quod mox in textum receptum exturbavit aliquod adiectivum, quo poetam eius contentionis naturam declarasse suspicor. Emendatio quidem est incertior, quod non unum adiectivum tam metro quam sententiae accommodatum potest excogitari; mihi tamen non mediocriter placeret haec lectio:

ἐπέκλωσεν θεά,
ἄγριον Θυέστῃ πόλεμον ὄντι συγγόνῳ
θέσθαι.

i. e. *bellum saevum et atrox.*

Simile quid accidisse puto in Aristophanis *Pace* vs. 45 sq.:

κᾆτ' αὐτῷ γ' ἀνὴρ
'Ιωνικός τίς φησι παρακαθήμενος·
δοκέω μὲν ἐς Κλέωνα ταῦτ' αἰνίσσεται,
ὡς κεῖνος ἀναιδέως σπατίλην ἤσθιεν.

Nempe ἀναιδέως ita tantummodo ferrem, si dici quis posset αἰδημόνως ἐσθίειν σπατίλην. At vero ipsum illud σπατίλην ἐσθίειν figurate a poeta dictum est pro ἀναιδεύεσθαι. Hinc vide ne ἀναιδέως, quod versum reddit parum numerosum, sit interpretis et genuina lectio talis:

ὡς κεῖνος ἡδέως κτέ.

Quo maior erat utriusque adverbii similitudo, eo facilius alterum alterius locum invadere potuit. Ionice loqui hominem satis testantur ceteri Iasmi, nec obstat huic coniecturae quod forsitan aliquis opponat, magistellum non fuisse adscripturum ἀναιδέως, sed ἀναιδῶς. Etenim semel adscito ἀναιδῶς, non est mirandum, cogente praesertim metro, Ionico spectatori esse redditum a correctoribus ἀναιδέως. Nolo enim, quo causam meam tuear, provocare ad codicum numerum longe maiorem in quibus est ἀναιδῶς, quia duo optimi RV praebent formam Ionicam.

In eadem fabula vs. 475 dudum videram Aristophanem scripsisse:

οὐδ' οἵδε γ' ἐποίουν οὐδὲν 'Αργεῖοι πάλαι
ἀλλ' ἢ κατεγέλων κτέ.

non quod hodie e libris editur:

οὐδ' οἵδε γ' εἷλκον οὐδὲν κτέ.

Sed occupavit, quod nunc video, ita corrigere Heimsoethius in priore commentatione critica *de vitiorum in veterum scriptorum codicibus obviorum generibus a Madvigio nuper definitis*, p. XV, nisi quod ille deleta simul particula γε rescripsit:

οὐδ' οἵδ' ἐποίουν.

Metrum tamen non obstat quominus retineatur, quoniam δεγεποι eodem iure haberi potest pro tribrachy quam pro anapaesto.

Ibidem ad vs. 511:

οἵ τοι γεωργοὶ τοὔργον ἐξέλκουσι κἄλλος οὐδεις.

Dindorfius in novissima editione adnotat »aptius ἐκπράττουσι." Ipse olim in *praefatione* ad *Exercitationes criticas* p. XI proposueram ἐκτελοῦσιν. Utrum horum sit verius, nunc non quaero; convenit mihi cum viro egregio ἐξέλκουσιν esse glossema.

Tertius in eodem dramate locus vitiosus criticos hucusque latuisse videtur. Nam eodem mendi genere laborant, quae leguntur vs. 772 sq. in parabasi:

καὶ μὴ ἀφαίρει
γενναιοτάτου τῶν ποιητῶν
λαμπρὸν τὸ μέτωπον ἔχοντος.

siquidem γενναιοτάτου non scriptum esse ab Aristophane arguit articulus perperam omissus. In archetypo fuisse suspicor:

γενναιοτάτου
τἀνδρειοτάτου τῶν ποιητῶν

et deinde accidisse quod vides. Similiter apud Thucydidem V. 9 (καὶ ὑμεῖς ὦ ἄνδρες ξύμμαχοι ἀκολουθήσατε ἀνδρείως) codex quidam Parisiensis a me collatus pro ἀνδρείως habet γενναίως, superscripto tamen m. 2 γρ. ἀνδρείως. Cf. Stud. Thuc. p. 60, ubi non debueram γενναίως praeferre optimorum librorum lectioni.

Non alia ratione explicandus error, qui perdidit *Acharnensium* locum, ubi Dicaeopolis belli causas exponens et Atheniensium in Megarenses iniurias vs. 520 sqq.:

κεἴ που, inquit, σίκυον ἴδοιεν ἢ λαγῴδιον
ἢ χοιρίδιον ἢ σκόροδον ἢ χόνδρους ἅλας
ταῦτ' ἦν Μεγαρικὰ κἀπέπρατ' αὐθημερόν.

Quam absurdum sit h. l. Μεγαρικὰ ostendit olim Hamakerus, feliciter suspicatus agi de fructibus agri sacri Cereris Eleusiniae, unde coniecit:

ταῦτ' ἦν ἱερά τε κἀπέπρατ' αὐθήμερον

ut Μεγαρικά glossema esse censeatur, quod genuinam lectionem expulerit. Recte me iudice fecit, nisi quod una in re leviter erravit. Nam ubi con-

iunguntur ut h. l. causa et effectus particulis *τε καί* locus non est. Potius igitur scripserim:

ταῦτ' ἦν ἂν ἱερὰ κἀπέπρατ' αὐθημερόν.

De usu voculae conditionalis in sententia iterativa non est quod lectorem moneamus.

Miror Theopompum comicum apud Athen. I. p. 23 E (F. C. II, p. 817) sic scribentem vs. tertio:

Τελαμῶνος οἰμώζοντες ἀλλήλοις μέλη.

pro *ᾄδοντες*, quia in scolio de Telamonis filio, quantum ex eius reliquiis (apud Bergkium poet. Lyr. ed. III. p. 1292 sq.) apparet, nihil est flebile. Hinc subiit animum suspicio an forte *οἰμώζοντες* sit interpretamentum genuini participii *αἰάζοντες*, quo ridiculi causa poeta usus sit propter nomen Aiacis (illa cantilena celebrati. Recte enim Hesychius: *ἦν τι σκόλιον γεγραμμένον εἰς Αἴαντα*), quod in quatuor versibus superstitibus bis reperitur. Eidem verborum lusui indulsit tragicorum princeps in cognomine fabula, ubi Aiacem facit querentem:

αἰαῖ· τίς ἄν ποτ' ᾤεθ' ὧδ' ἐπώνυμον
τοὐμὸν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς,
νῦν γὰρ πάρεστι καὶ δὶς αἰάζειν ἐμοὶ
καὶ τρὶς κτἑ.

ad meum sensum vero dolori significando minus apte, tametsi similia reperiuntur cum apud alios tum apud recentiorum tragicorum longe maximum Shakespearium in admirabili tragoedia Richardo secundo Act. II. Sc. 1, ubi Gauntius moribundus sic ludit in nomine suo:

O how that name befits my composition!
Old Gaunt, indeed, and *gaunt* in being old. cett.

cui haud immerito Richardus:

Can sick men play so nicely with their names?

tum ille:

No misery makes sport to mock itself cett.

Finem huic de glossematis excursui imponam in tentando *Ranarum* loco vs. 1235, ubi Dindorfius tanquam e codice Veneto edidit:

ἀλλ' ὠγάθ' ἔτι καὶ νῦν ἀπόδου πάσῃ τέχνῃ.

At teste Cobeto, cuius collatio mihi ad manum est, is liber iuxta cum ceteris exhibet ἀπόδος. Sic quoque habet collatus olim a me Ambrosianus, sed superscripto glossemate ὤνησαι. Huius igitur glossematis auctor legerat πρίω, quod Aristophani reddendum esse suspicor, nisi fallit memoria post alium, sed quem nescio.

Hisce peractis e diverticulo redeamus in viam, id est ad EURIPIDEM, in cuius poetae *Supplicibus* emendandis substitimus. Non expedio in ea fabula quae sic scripta leguntur vs. 547 sq.:

σκαιόν γε τἀνάλωμα τῆς γλώσσης τόδε
φόβους πονηροὺς καὶ κενοὺς δεδοικέναι.

Prorsus enim me latet quo pacto *metus* dici possit *linguae dispendium*. Tolerabilius certe erit:

σκαιόν γε τἀνάλωμα τῆς γνώμης τόδε κτέ.

Utrumque vocabulum non semel a librariis confusum esse notum est.

Ibidem vs. 566 sq.:

βούλει ξυνάψω μῦθον ἐν βραχεῖ σαφῆ.

ex Hartungi coniectura edidit Dindorfius pro corrupto σέθεν. Mira tamen tanta notissimi scribis vocabuli corruptela.

Facilius credam ita depravatum esse rarius aliquod vocabulum, quale foret σκεθρόν, i. e. ἀκριβῆ. Adverbio σκεθρῶς usi sunt Aeschylus et Euripides.

Ibidem vs. 584 sqq.:

ὁρμᾶσθαι χρεὼν
πάντ' ἄνδρ' ὁπλίτην ἁρμάτων τ' ἐπεμβάτην,
μοναμπύκων τε φάλαρα κινεῖσθαι στόμα
ἀφρῷ καταστάζοντα, Καδμείαν χθόνα.

Ineptum esse στόμα iam vidit Nauckius assentiente Dindorfio, aliis. Non enim φάλαρα posse καταστάζειν στόμα manifestum est. Non exputo, quid melius substituatur quam πολύν, mutato ἀφρῷ in ἀφρόν, ut καταστάζειν iungatur Accusativo, quemadmodum poeta locutus est H. F. 934:

ἀφρὸν κατέσταζ' εὐτρίχου γενειάδος.

Cf. Hec. 760, et saepissime στάζειν habet Accusativum apud nostrum, rarius Dativum. Στόμα ex interpretamento, quia de spuma ore scilicet emissa sermo

est, fluxisse potest. Insuper innumera est locorum copia, ubi senariorum terminationes miris exemplis depravatae sunt.

Iniuria tentatur Supplicum locus vs. 573:

πολλοὺς ἔτλην δὴ χἀτέρους ἄλλους πόνους.

Qua abundantia offensus Nauckius, laudatus a Diudorfio in scenicorum editione quinta proposuit *χἀτέρους ἄθλους ἐγώ*. At vide Orest. 354 sqq., Demosth. *περὶ τῆς τῶν Ροδίων ἐλευθερίας* § 27, Aristophan. ap. Athen. III. p. 117 C., Bekk. Anecd. p. 379, 31. Et cur hoc minus feramus quam alia haud rara similis abundantiae exempla, quorum pauca e solis poetis scenicis petita hic lubet adscribere. Legitur *διακενῆς ἄλλως* apud Aristoph. Vesp. 929, *μάτην διακενῆς* ap. Platonem comicum (F. C. II. p. 675), *σχεδόν τι— ἐγγὺς* apud Alcaeum comicum (Ib. II. p. 827), *τάχ᾽(ἂν) ἴσως* et apud alios omnes et apud Aristoph. Vesp. 1456 et Thesm. 718 sq., *αὖθις πάλιν* Pac. 845 et saepe apud alios.

Iota finale cum sigma finali haud infrequenter permutari a scribis norunt omnes, qui triverunt libros manuscriptos. Hoc accidisse videtur in *Heraclidarum* loco, qui est vs. 108 sq., ubi Coprei verba:

καλὸν δέ γ᾽ ἔξω πραγμάτων ἔχειν πόδα,
εὐβουλίας τυχόντα τῆς ἀμείνονος.

non satis expedio, nisi rescripto:

εὐβουλίᾳ τυχόντα τῆς ἀμείνονος.

i. e. *prae prudentia assumto potiore consilio.*

Ceterum fieri potest ut de industria ita refictum sit, quum ellipticam locutionem *τῆς ἀμείνονος* (*γνώμης*) ignorans scriba Genetivo opus esse iudicaret.

Ibidem vs. 423:

οὐ γὰρ τυραννίδ᾽ ὥστε βαρβάρων ἔχω,
ἀλλ᾽ ἢν δίκαια δρῶ, δίκαια πείσομαι.

absurdum vitium Cobetus correxit reponendo ipsum contrarium:

ἀλλ᾽ ἤν (περ ἄ)δικα δρῶ κτέ.

Praegressa tamen inde a vs. 411:

παῖδα δ᾽οὔτ᾽ ἐμὴν κτενῶ
οὔτ᾽ ἄλλον ἀστῶν τῶν ἐμῶν ἀναγκάσω
ἄκονθ᾽ κτέ.

non quidem impediunt eam coniecturam, sed, ut libere dicam quod sentio, potius eo ducere videntur, ut legamus, quod lenius est:

ἀλλ' ἢν βίαια δρῶ, δίκαια πείσομαι.

Cf. infra 923 et imprimis Ion. 445. De utriusque vocabuli confusione lectorem relego ad ipsum Cobetum N. L. p. 527. Similiter nuper H. W VAN DER MEY in *studiis Theognideis* p. 47 Megarensi poetae (vs. 1193) reddidit:

ὅρκοι δ' οὐκέτι πιςοὶ ἐν ἀνθρώποισι βιαίοις.

pro *δικαίοις*.

Ibidem vs. 823:

οἱ δ' ὑπ' ἀσπίδων
πλευραῖς ἔκρυπτον πλεῦρ'.

Elmsleius reposuit formam antiquiorem *πλευροῖς*. Permire tamen *clipeorum latera* dictum pro *ipso clypeo*. Corrigendum videtur:

οἱ δ' ὑπ' ἀσπίδων
πτυχαῖς ἔκρυπτον πλεῦρ'.

Ἀσπίδων πτύχες s. *πτυχαί* (Cf. Elmsleius ad Med. 1266) est poetica periphrasis pro *ἀσπίδες*. *Σάκεος πτύχας* nemo Homeri lector ignorat. Corruptelae ratio est manifesta.

Ibidem 884. Famulus rogatus ab Alcmena, cur Iolaus Eurystheo pepercisset, respondet:

τὸ σὸν προτιμῶν, ὡς νιν ὀφθαλμοῖς ἴδοις
κρατοῦντα καὶ σῇ δεσποτούμενον χερί.

Inter virorum doctorum coniecturas, quas ad h. l. recenset Dindorfius, maxime mihi arridet Cobetiana *πτήσσοντα*, quod elegantissime dictum vellem ab Euripide profectum esse. Frustra tamen tanti erroris causam quaerentem primum gravis incessit dubitatio, deinde suspicio poetae manum fuisse hanc:

ταρβοῦντα καὶ σῇ δεσποτούμενον χερί.

Frequentissima literarum *β* (u) et *κ* confusione e *ταρβοῦντα* fiebat *ταρκοῦντα*, unde transpositis literis corrector fecisse videtur vocabulum bene Graecum *κρατοῦντα* de sententia securus. Verbi autem *ταρβεῖν*, quod h. l. aptissimum esse non facile negabitur, frequentissimus est usus apud tragicos omnes.

Ibidem vs. 1018 sqq.:

Chor. *παραινέσαι σοι σμικρὸν, Ἀλκμήνη, θέλω*
τὸν ἄνδρ' (Eurystheum) *ἀφεῖναι τόνδ', ἐπεὶ πόλει δοκεῖ.*
Alcm. *τί δ', ἢν θάνῃ τε καὶ πόλει πιθώμεθα;*
Chor. *τὰ λῷς' ἂν εἴη · πῶς τάδ' οὖν γενήσεται;*
Alcm. *ἐγὼ διδάξω ῥαδίως · κτανοῦσα γὰρ*
τόνδ' εἶτα νεκρὸν τοῖς μετελθοῦσιν φίλων
δώσω · τὸ γὰρ σῶμ' οὐκ ἀπιςήσω χθονι.

Impense miror neminem, quod certe sciam, criticorum haesisse in verbis *τὸ γὰρ σῶμ' οὐκ ἀπιςήσω χθονί.* Non enim facile expedias Accusativum, qualis est *τὸ σῶμα*, suspensum a verbo neutro *ἀπιςεῖν* (= *ἀπειθεῖν*). Sententia admitteret v. c. *φθονήσω*, quod metro repudiatur, et sanum esse *ἀπιςήσω* abunde probat oppositum in praegressis verbum *πιθώμεθα.* Ergo mendosum est *τὸ σῶμ'*. Orationis contextus suadere videtur:

τὸ γὰρ δρῶν οὐκ ἀπιςήσω χθονί.

i. e. *hoc enim faciens parebo civitati.* Articuli apud tragicos pro pronomine demonstrativo, imprimis sequente vocula *γάρ*, quamvis rarior certus usus est.

Hercul. Fur. vs. 615 sq.:

Amph. *οὐδ' οἶδεν Εὐρυσθεύς σε γῆς ἥκοντ' ἄνω;*
Herc. *οὐκ οἶδ' · ἵν' ἐλθὼν τἀνθάδ' εἰδείην πάρος.*

Graecitati vim intulit Madvigius, quum nuper pro *εἰδείην* corrigeret *εὖ θείην*. Nam Graecum est et Euripideum, quod olim ipse conieci, *εὖ θείμην*. Cf. Iph. A. 672, Iph. T. 1005, Bacch. 49, Hipp. 709, Andr. 378. *Εὖ* et *καλῶς τιθέναι* recte dicitur qui *res alienas* bene componit. Vide v. c. Electr. vs. 647, ubi verbo medio locus non esset.

Ibidem vs. 990 sqq.:

ὁ δ' ἀγριωπὸν ὄμμα Γοργόνος ςρέφων,
ὡς ἐντὸς ἔςη παῖς λυγροῦ τοξεύματος,
μυδρόκτυπον μίμημ' ὑπὲρ κάρα βαλὼν
ξύλον καθῆκε παιδὸς ἐς ξανθὸν κάρα.

Supra quam dici potest absurde h. l. adduntur verba *ὡς—τοξεύματος*, quia modo poeta dixerat filiolum:

γόνασι προσπεσεῖν πατρὸς
καὶ πρὸς γένειον χεῖρα καὶ δέρην βαλεῖν.

Et cur quaeso Hercules, si puer non prope adstat, sed *ἐντὸς τοξεύματος*, *clava* utitur, non sagittis?

Idem tamen versus, qui hic facit ut poeta ineptiat, optime habebit transpositus post vs. 987. Scripserat quondam Euripides:

ὁ δ' ἐξελίσσων παῖδα κίονος κύκλῳ
978 *πόρευμα δεινὸν ποδὸς, ἐναντίον ςαθεὶς,*
991 *ὡς ἐντὸς ἔςη παῖς λυγροῦ τοξεύματος,*
βάλλει πρὸς ἧπαρ.

Ibidem vs. 1159:

φέρ', ἀντι — —·κρατὶ περιβάλω σκότον

nihil reconditius quaesiverim quam simplicissimum hoc lacunae supplementum:

φέρ', ἀντὶ (φωτὸς) κρατὶ περιβάλω σκότον.

Orest. vs. 166 sqq.:

Chor. *ὁρᾷς; ἐν πέπλοισι κινεῖ δέμας.*
El. *σὺ γάρ νιν, ὦ τάλαινα,*
θωύξασ' ἔβαλες ἐξ ὕπνου.
Chor. *εὕδειν μὲν οὖν ἔδοξα.*
El. *οὐκ ἀφ' ἡμῶν, οὐκ ἀπ' οἴκων*
πάλιν ἀνὰ μεθεμένα κτύπου
πόδα σὸν εἱλίξεις;
Chor. *ὑπνώσσει. λέγεις εὖ.*

Iure mireris chorum Electrae sibi exprobranti, quod vociferando fratrem e somno expergefecerit, respondere: *Imo putavi eum dormire.* Inepta excusatio, propterea quod ea ipsa opinio mulierum culpam augebat. Quid, si chorum potius respondisse existimamus:

εὕδειν μιν οὐκ ἔδοξα.

putavi eum non dormire? Clara voce dixi illa: *ὁρᾷς—δέμας*, eam ipsam ob causam, quod corpus movebat, rata eum iam non amplius dormire, neque igitur opus esse, ut vocem remitterem. An forte *ἔδοξα* dictum putas pro *δοκῶ*, ut *ἥσθην*, *ἐχάρην*, *ἐπῄνεσα*, alia non ita pauca usurpantur, ubi nos fere utimur tempore praesenti? Ita chorus negaret experrectum esse Orestem. Si haec interpretatio, de cuius tamen veritate dubito, probari poterit, nihil muto. Videant alii.

Ion. 491 sqq.:

ὦ Πανὸς θακήματα καὶ
παραυλίζουσα πέτρα
μυχώδεσι Μακραῖς,
ἵνα χοροὺς στείβουσι ποδοῖν
Ἀγραύλου κόραι τρίγονοι,
στάδια χλοερὰ πρὸ Παλλάδος
ναῶν, συρίγγων
ὑπ' αἰόλας ἰαχᾶς
ὕμνων, ὅταν αὐλίοις
συρίζῃς, ὦ Πάν,
τοῖσι σοῖς ἐν ἄντροις.

Merito in his verbis haesit Madvigius, sed infelicissima coniectura delendum censuit vocabula ἐν ἄντροις. Non censuisset opinor, si intellexisset mutatione propemodum nulla (nam utrum ᾱ, an ᾱι, an ᾱυ denique legatur in libris antiquis saepe difficillimum est ad dispiciendum) emendari posse:

ὅτ' ἀναλίοις
συρίζεις, ὦ Πάν,
τοῖσι σοῖς ἐν ἄντροις.

Cf. Aesch. Prom. 451 ἄντρων ἐν μυχοῖς ἀνηλίοις. Hoc loco Euripides vocabulum usurpavit pro σκιεροῖς. Pan, solis aestum fugiens in antro, ut Aristophaneo more loquar, καλαμοφθόγγα παίζει.

Creüsam, ubi Apollinem ob illatam sibi iniuriam execratur, vs. 915 miror sic loquentem:

μισεῖ σ' ἁ Δᾶλος κτέ.

Necessarius videtur Optativus μισοῖ κτέ. Eundem modum requiro in *Electra* vs. 646 sq., ubi Electrae dicenti:

ἐγὼ φόνον γε μητρὸς ἐξαρτύσομαι,

frater respondet:

καὶ μὴν ἐκεῖνά γ' ἡ τύχη θήσει καλῶς.

Optantis quum sit Optativus, legatur θείη.

Nulla litera facilius elabitur quam vocalis ἰῶτα. Hanc restituam *Ioni* vs. 52, ubi Xuthus Creüsae filio:

ὃ δ' ἦξας ὀρθῶς, τοῦτο κἄμ' ἔχει πόθος.

Graeca oratio erit, si scripseris: *οἷ δ' ἧξας κτέ.*, i. e. *quo tu ferris* (*ruis*, *tendis*), *id ego quoque desidero.*

Lacuna ne statuenda sit vereor in loco *Ionis*, qui legitur vs. 1210 sqq:

βοᾷ δέ "τίς μ' ἔμελλεν ἀνθρώπων κτενεῖν;
σήμαινε, πρέσβυ, σὴ γὰρ ἡ προθυμία,
καὶ πῶμα χειρὸς σῆς ἐδεξάμην πάρα."
εὐθὺς δ' ἐρευνᾷ γραῖαν ὠλένην λαβών,
ἐπ' αὐτοφώρῳ πρέσβυν ὡς ἔχονθ' ἕλοι·
ὤφθη δὲ καὶ κατεῖπ' ἀναγκασθεὶς μόλις
τόλμας Κρεούσης κτέ.

Quia *ἔχοντα* caret obiecto, certatim viri docti hunc versum corrigere conati sunt, sed omnes successu parum felici. Qui enim *λαβὼν ἔχοι* vel *ἁλόντ' ἔχοι* vel *κτείνονθ' ἕλοι* coniecerunt, non viderunt se redargui vocabulis sequentibus *ὤφθη δέ*, quae ita idonea sententia carebunt. Quare si non id ipsum quod dicturus sum e contextu assumere liceat, potius statuerim post verba *ὡς ἔχονθ' ἕλοι* unum versiculum intercidisse, cuius sententia fuerit: *vasculum aliudve instrumentum* (nesciebat enim Ion quale id esset), *unde paedagogus venenum poculo infuderat.* Deinde ad *ὤφθη δέ* cogitandum esse apparet *τοῦτο ἔχων.*

Tribus literis expleverim veterem lacunam in eadem fabula vs. 1287 sq.:

Creüs. *ἀλλ' οὐκέτ' ἦσθα Λοξίου, πατρὸς δὲ σοῦ.*
Ion. *ἀλλ' ἐγενόμεσθα, πατρὸς οὐσίαν λέγω.*

Ut nunc haec verba scribuntur, merum aenigma est Ionis responsum: sed tu mecum repone:

ἀλλ' ἐγενόμεσθα πρόσ(θεν), οὐσίαν λέγω.

i. e. *sed fuimus ante* (Apollinis sc.), *possessionem volo* (non filium). Ita demum recte respondebit Creüsa:

οὐκοῦν τότ' ἦσθα· νῦν δ' ἐγώ, σὺ δ' οὐκέτ' εἶ.

Nempe paullo ante dixerat:

ἱερὸν τὸ σῶμα τῷ θεῷ δίδωμ' ἔχειν.

Ut tu antehac, inquit, *Apollinis eras οὐσία* (utpote *ἱερόδουλος*), *ita ego nunc sum.* Cui Ion:

οὐκ εὐσεβής γε, scil. *οὐσία* (ut ego fui). Sic plana sunt omnia.

Simplicissima est corruptelae ratio. *Πρός* habitum est pro noto compendio vocabuli *πατρός*, quo facto syllaba *θεν* cogente metro exulavit.

Peccatum est contra constantem dicendi consuetudinem in loco *Ionis* vs. 1331 sq.:

μὴ ταῦτα· λείπων ἱερὰ καὶ ϛείχων πάτραν
— καθαρὸς Ἀθήνας ἔλθ' ὑπ' οἰωνῶν καλῶν.

Semper enim in tali oratione Graeci utuntur participio aoristi *λιπών*, non praesentis, ut in *Hecubae* initio:

Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πυλὰς
λιπών.

Nisi igitur statuendum, quod parum videtur probabile, Euripidem sequenti participio *ϛείχων* commotum hoc unico loco ab illa scribendi norma descivisse, correxerim:

μὴ δῆτα (cum Nauckio)· *λεῖπε δ' ἱερὰ κτέ.*

Ibidem vs. 1609 sqq.:

Creüsa: *τἀμά νυν ἄκουσον· αἰνῶ Φοῖβον οὐκ αἰνοῦσα πρίν,*
οὕνεχ' οὔ ποτ' ἠμέλησε παιδὸς ἀποδίδωσί μοι.

Iure mireris Creüsae impietatem haec dicentis, modo disertis verbis edoctae a Minerva, Apollinem numquam neglexisse filium suum ex ipsa natum. Dixerat enim dea vs. 1495 sqq.:

καλῶς δ' Ἀπόλλων πάντ' ἔπραξε· πρῶτα μὲν
ἄνοσον λοχεύει σ', ὥϛε μὴ γνῶναι φίλους·
ἐπεὶ δ' ἔτικτες τόνδε παῖδα κἀπέθου
ἐν σπαργάνοισιν, ἁρπάσαντ' εἰς ἀγκάλας
Ἑρμῆν κελεύει δεῦρο πορθμεῦσαι βρέφος,
ἔθρεψέ τ' οὐδ' εἴασεν ἐκπνεῦσαι βίον.

Et vere haec dicere Minervam ipsa fabula documento est.

Itaque quaerendum, quo pacto leni verborum correctione impietatis absolvi possit Ionis mater.

Venit mihi in mentem:

οὕνεκ' οὔποτ' ἠμέλησε παῖδ', ὃν ἀποδίδωσί μοι.

Verbum *ἀμελεῖν* accusativo coniunxit ipse Euripides in hac ipsa fabula vs. 438, ubi de eodem Apolline Io:

παῖδάς τ' ἐκτεκνούμενος λάθρα
θνήσκοντας ἀμελεῖ.

Attamen inde non magis sequitur Euripidi licuisse dicere ἠμέλησε παῖδα quam ex eo, quod non raro poetae iungunt verbum χαίρειν cum accusativo participii, iure concludas Graecum esse χαίρω τι πρᾶγμα. Ita sane est: sed quid facias loco Herodoti VII 163: ταύτην μὲν τὴν ὁδὸν ἠμέλησε? Et laudatur a lexicographis eadem constructio ex Isocrate, non adscripto tamen, quod doleo, loco.

Rem tamen quia non prorsus certam esse largior, confugio ad *attractionem*, ut παῖδ' ὃν dictum accipiatur pro παιδός, ὃν, quemadmodum Euripides Troad. vs. 138 dixit: ὤμοι θάκους (pro θάκων) οὓς θάσσω, Aristophanes Lys. 408 sq.: τὸν ὅρμον, ὃν ἐπεσκεύασας — ἡ βάλανος ἐκπέπτωκε κτἑ., Demosthenes XVIII § 16: ἑτέρῳ δ' ὅτῳ κακόν τι δώσομεν ζητεῖν, ut e multis locis paucos recenseam.

Nihilominus non obnitar, si quis praetulerit:

οὕνεκ' οὔποτ' ἠμέλησε παιδὸς ἀποδίδωσί τε.

ut μοι sit glossatoris, aut quod se malle mihi significavit Franckenius:

οὕνεχ' οὗ ποτ' ἠμέλησα παιδὸς ἀποδίδωσί μοι.

quae corrigendi ratio foret omnium lenissima, neque mihi displiceret, nisi potius expectaretur a Creüsa in fine fabulae sollennis revocatio eorum, quae inique Deum criminata erat, quam sui accusatio.

Utut de loco emendando iudicabitur, id praesertim mihi proposui, ut aliquid vitii subesse agnosceretur a viris doctis.

Certa emendatione sanasse mihi videor conclamatum fere *Helenae* locum, qui legitur vs. 444 sqq., ubi Menelaus naufragus a Theoclymenis, regis Aegyptiorum, aedibus ab iracunda serva ianitore hisce verbis repellitur:

τίς πρὸς πύλαισιν; οὐκ ἀπαλλάξει δόμων,
καὶ μὴ πρὸς αὐλείοισιν ἑστηκὼς πύλαις
ὄχλον παρέξεις δεσπόταις; ἢ κατθανεῖ
Ἕλλην πεφυκώς, οἷσιν οὐκ ἐπιστροφαί.

Cui ille:

ὦ γραῖα, ταῦτα ταῦτ' ἔπη καλῶς λέγεις·
ἔξεστι· πείσομαι γάρ· ἀλλ' ἄνες λόγον.

Dindorfius ad h. l. in ed. Vta Scenicorum haec adnotat. »Verba interpolata,

»quibus nil profuerunt Stephani, qui *ταῦτα πάντ'* scripsit, aliorumque coniecturae." Nec tamen locus est insanabilis. Partem veri iam vidisse Heimsoethium his ipsis diebus intellexi. Locum enim sic nuper constituit:

ὦ γραῖα, ταὐτὰ ταῦτ' ἔπη πράως λέγειν
ἔξεςι κτέ.

prorsus ut ego dudum conieceram praeter unum *πράως*, quod quomodo in *καλῶς* abire potuerit, difficile dictu est. Sed scripserat, nisi fallor, Euripides aliquanto propius ad traditam lectionem sententia eadem:

ὦ γραῖα, ταὐτὰ ταῦτ' ἔπη κἄλλως λέγειν
ἔξεςι κτέ.

i. e. *o vetula, eadem haec verba et alio modo* (i. e. minus iracunde) *dicere licet; morigerabor enim tibi* (nempe abibo, si prorsus ita iubes. Cf vs. 446,) *sed remittas quaeso sermonis vehementiam.*

Emendationem planissime confirmant verba sequentia. Ad orationis formam, in qua cum emphasi aliis verbis eadem repetitur cogitatio cf. O. R. 338, et locos quos ibi affert Schneidewinus, quibus addas Eur. Andr. 711 et Arist. Ran. 43 sq.

Lenius et melius quam hucusque factum video, corrigi possunt quae leguntur ibidem vs. 576 sq.:

Hel. *οὐ γάρ με λεύσσων σὴν δάμαρθ' ὁρᾶν δοκεῖς;*
Men. *τὸ σῶμ' ὅμοιον* (l. *ὁμοῖον*), *τὸ δὲ σαφές μ' ἀποςερεῖ.*

Quod enim proposuit Hartungius: *τοῦ σαφοῦς δ' ἀπεςέρην* multum vereor ut sufficiat. *Τὸ σαφές*, ut saepissime in tragoedia, valet h. l. *τὸ ἐναργὲς τῆς ἀληθείας, τὸ ἀληθές*, et e regione opponitur *τῷ δοκεῖν* in versu praecedenti. Menelaus nimirum persuasissimum habebat, veram Helenam esse quam Troia secum abductam sociis suis in spelunca servandam paullo ante mandaverat, idque ipsi est *τὸ σαφές*. Quid igitur? Euripidi reddendum esse censeo:

τὸ σῶμ' ὁμοῖον, τὸ δὲ σαφές μ' ἀποτρέπει.

scil. *δοκεῖν ὁρᾶν τὴν ἐμὴν δάμαρτα.*

Corpus quidem tuum illius simile, sed abhortatur me ab ea opinione veritas, sive evidentia eorum quae scio.

Unam literam, quam supra p. 34 dixi omnium facillime elabi, antiquitus per-

iisse arbitror in eadem fabula, ubi hodie legimus haec Helenae verba ad Theonoen:

vs. 909 ἡμᾶς δὲ (μα)καρίως μέν, ἀθλίως δ' ἐμοί,
'Ερμῆς ἔδωκε πατρὶ σῷ σώζειν πόσει
τῷδ', ὃς πάρεστι κἀπολάζυσθαι θέλει.

Permire Mercurius Helenam dicitur *beate* tradidisse Proteo servandam. Aut fallor, aut antiqua scriptura:

ἡμᾶς δὲ καιρίως μὲν κτέ.

elapsa litera iota leviter depravata in:

ἡμᾶς δὲ καρίως μὲν κτέ.

a correctore olim, ut metro satisfieret, ita suppleta est, ut hodie legitur in libris scriptis et editis omnibus.

In *Electra* vss. 64, sqq. sic eduntur:

τί γὰρ τάδ', ὦ δύστην', ἐμὴν μοχθεῖς χάριν
πόνους ἔχουσα, πρόσθεν εὖ τεθραμμένη,
καὶ ταῦτ' ἐμοῦ λέγοντος οὐκ ἀφίστασαι;

Immerito interpretes, consensu ταῦτα habentes pro obiecto verbi λέγοντος, nuper incurrerunt in reprehensionem Weilii, qui καὶ ταῦτα arcte iungendum et h. l., ut saepe alias, valere *idque* contendit. Non enim secum reputavit vir eximius in ea formula καί amittere vim *copulandi* duo verba, ut hic μοχθεῖς et ἀφίστασαι, quae ita ponerentur ἀσυνδέτως. Sic enim duplici καὶ opus foret in hunc fere modum: τί μοχθεῖς — καὶ οὐκ ἀφίστασαι καὶ ταῦτ' ἐμοῦ λέγοντος. Ceterum verba ταῦτ' ἐμοῦ λέγοντος mendo non vacant. Loci ratio postulat:

καὶ ταῦτ' ἐμοῦ ψέγοντος οὐκ ἀφίστασαι.

Satis crebra est utriusque verbi confusio. Vide quae adnotavi ad Oed. Reg. 338 in editione maiore.

Ibidem vs. 228 sq. legitur:

Or. ἥκω φέρων σοι σοῦ κασιγνήτου λόγους.
El. ὦ φίλτατ', ἆρα ζῶντος ἢ τεθνηκότος;

Verba ὦ φίλτατε non spectant me iudice eum qui adest Orestem, sed eum quem Electra procul abesse putat. Non enim ignotum sibi hominem, quem

latronem esse modo suspicabatur, quamvis laeta nuntiantem sic prudens erat compellatura.

Inest autem talibus artificiosa ambiguitas, cui data opera student tragici Graeci, velut in hac ipsa vicinia vs. 225, ubi Electra dicens *πάντως δ' εἰμὶ σή* significat *se esse in eius potestate*; nesciens ipsa quam vere idem dicat sententia plane diversa. Eiusmodi vero ambiguitates in tragoedia antiqua multo minus quam in recentiore fallere poterant spectatores. Quippe in illa:

οἱ λόγοι
ὑπὸ τῶν θεατῶν εἰσὶν ἐγνωρισμένοι
πρὶν καί τιν' εἰπεῖν· ὡς (ὥσθ' ?) ὑπομνῆσαι μόνον
δεῖ τὸν ποιητήν· Οἰδίπουν γὰρ ἂν μόνον
φῶ, τἄλλα πάντ' ἴσασιν· ὁ πατὴρ Λάιος,
μήτηρ 'Ιοκάϛη, θυγατέρες, παῖδες τίνες,
τί πείσεθ' οὗτος, τί πεποίηκεν. κτέ.

Verba sunt Antiphanis in *Poesi* apud Athen. VI, p. 222 A.

Locus *Electrae* me admonet loci ex *Heraclidis* perperam intellecti ideoque praepostere nuper tentati, ubi Hylli famulus Iolao nuntiat, herum suum appropinquare:

Fam. *Ἥκω γε μέντοι χάρμα σοι φέρων μέγα.*
Iol. *τίς δ' εἶ σύ; ποῦ σοι συντυχὼν ἀμνημονῶ.*
Fam. *Ὕλλου πενέϛης· οὔ με γιγνώσκεις ὁρῶν;*
Iol. *ὦ φίλταθ', ἥκεις ἄρα σωτὴρ νῷν βλάβης;*
Fam. *μάλιϛα·*

Iolai verba *ὦ φίλταθ' κτέ.*, quae *exclamatio* sunt magis quam quaestio, non pertinent ad famulum, sed ad absentem Hyllum, neque igitur cum Lindero rescribendum: *Ἥκει γ' ἄρα*, in qua lectione praeterea vocula *γε* nihil est nisi metri fulcrum. Meae interpretationi non obstare sequens *μάλιϛα* vix est quod moneam.

Negotium mihi facessit interpretanti in *Electra* chori particula (vs. 442, sqq.) haec:

Νηρῆδες δ' Εὐβοΐδας ἀκτὰς λιποῦσαι
Ἡφαίϛου χρυσέων ἀκμόνων
μόχθους ἀσπιϛὰς ἔφερον τευχέων.

Ut enim taceam permire dictum esse: *μόχθοι τευχέων ἀσπιϛαί,*

haud leviter offendit istius adiectivi (quod alibi semper est substantivum = ὁπλίτης) usus, propterea quod non de solo clypeo sed de omni armatura hic sermonem esse apparet. Neque accurate respondet versus antitheticus:

πέμπουσαι χοροὺς μετὰ Νηρήδων,

quo duce rescribendum esse suspicor: μόχθους ἀσπέτους ἔφερον τευχέων, i.e. *ineffabiles*, paene idem quod θαυμασίους. Soph. Trach. 963: ἄσπετόν τι θαῦμα. Eur. Troad 78 χάλαζαν ἄσπετον. Cycl. 611 δρυὸς ἄσπετον ἔργον. Respondet fere vernacula vox *ontzettend.* Praeter utriusque vocabuli similitudinem librariis fraudi esse *potuit* haec de armis Achilleis mentio confusa cum notissima clypei a Vulcano confecti memoria in Iliadis libro XVIII.

Ibidem vs. 737 sq.:

τὰν δὲ πίστιν σμικρὰν
παρ' ἔμοιγ' ἔχει.

Succenseas paene poetae talia egregio cantico inserenti, quibus pulchram fictionem poeticam, quam modo suis verbis eximie ornaverat, ipse misere iugulat et pessumdat. Similis incredulitatis professio perdidit pulcherrimum ceteroquin locum Iuvenalis Sat. II, 149 sqq.:

Esse aliquos manes et subterranea regna,
Cocytum et Stygio ranas in gurgite nigras
atque una transire vadum tot milia cymba,
nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur.
Sed tu vera puta cett.

Praegressis enim istis, quis quaeso lector animo iam fingere sibi potest *Curium Fabricium manesque Camilli,* quos *non esse* ipse poeta praemonuit? Sed similia peccarunt alii, v. c. Ovidius Metam. III, 310.

Ibidem vs. 974 sqq., ubi Electra Orestem ad matris caedem hortatur, colloquuntur in hunc modum:

El. βλάπτει δὲ δή τί πατρὶ τιμωρῶν σέθεν;
Or. μητροκτόνος νῦν φεύξομαι, τόθ' ἁγνὸς ὤν.
El. καὶ μή γ' ἀμύνων πατρὶ δυσσεβὴς ἔσει.
Or. ἐγὼ δὲ μητρὶ τοῦ φόνου δώσω δίκας.

Nauckius recte intelligens ferri non posse in hac sententia pronomen coniecit:

κτανὼν δὲ κτέ.

Equidem antiquae scripturae vestigiis presse insistens scribere malim:

ἔγῳδα· μητρὶ δ' οὐ φόνου δώσω δίκας;

Scio equidem; sed matri nonne poenas luam caedis (i. e. si hanc interfecero)?

Ibidem vs. 1057 sq.:

El. Ἆρα κλύουσα, μῆτερ, εἶτ' ἔρξεις κακῶς;
Clyt. οὐκ ἔςι, τῇ σῇ δ' ἡδὺ προσθήσω φρενί.

Interpretatur Heathius: *immo quod animo tuo gratum erit insuper tibi retribuam.*

Quae sententia non inest verbis Graecis, sed si inesset nimiam matri erga invisam sibi filiam tribueret benevolentiam. Potius exspectatur, ut Clytaemnestra respondeat, se permittere Electrae, ut dicat quod velit. Nimirum corrigendum videtur:

οὐκ ἔσθ', ὃ τῇ σῇ δ' ἡδὺ προσθήσεις φρενί.

i. e. προσθήσεις δὲ (scil. τῷ προτέρῳ λόγῳ) ὃ ἡδὺ τῇ σῇ φρενί, *nullo modo, sed addes quicquid tibi placebit.* Structura paullo impeditior causa fuit corruptelae.

Insuper malim:

οὐ δῆθ', ὃ κτἑ.

Pugnat cum prologo quod Clytaemnestra traditur exclamare ibidem vs. 1100:

ὡς μᾶλλον ἢ χρῆν ἤλασ' εἰς ὀργὴν πόσιν.

Comparentur imprimis quae dicuntur vss. 15—42 et vs. 60. Non potest igitur quicquam esse certius quam scripsisse Euripidem:

ὡς μᾶλλόν ἢ χρῆν μ' ἤλασ' εἰς ὀργὴν πόσις.

Iphig. T. 492 quaerit Iphigenia:

πότερος ἄρ' ὑμῶν ἐνθάδ' ὠνομασμένος
Πυλάδης κέκληται;

Sententia haec est: *utri vestrum nomen est Pylades, ita hic vocato?* i. e. nam hoc nomen fando pervenit ad aures nostras. Cf. vs. 249 et 285. Nodum igitur in scirpo quaesivit Weilius pessime edens:

πότερος ἄρ' ὑμῶν, εἴπατ', ὠνομασμένος
Πυλάδης κέκληται;

in qua lectione nemo non videt quam inepte abundet ὠνομασμένος.

Iphig. Aul. vs. 530:

οὐκοῦν δόκει νιν ϛάντ᾽ ἐν Ἀργείοις μέσοις
λέξειν ἃ Κάλχας θέσφατ᾽ ἐξηγήσατο,
κἄμ᾽ ὡς ὑπέϛην θῦμα, κᾆτα ψεύδομαι
Ἀρτέμιδι θύσειν.

Versum canoni Porsoniano repugnantem (¹) (post ipsum Porsonum, qui infelicissime coniecerat ἐψεύσομαι) in ordinem redigere conatus est Nauckius rescribendo φεύξομαι, quod ideo displicet, quia in re iam nunc manifesta Ulysses Agamemnomen non φεύξεσθαι, sed φεύγειν dicturus erat, quare quod in vulgatis est tempus Praesens praeferendum videtur Futuro, quod illa coniectura infertur. Insuper φεύξομαι minus commodum est propter sequens θύσειν, tametsi concedo eiusmodi διὰ μέσου, quale Nauckius obtinere h. l. suspicatur, non carere exemplis. Equidem Euripidi, nam interpolatoris esse vss. 528—542 mihi minime persuasit Dindorfii disputatio, reddendum suspicor:

κἄμ᾽ ὡς ὑπέϛην θῦμα, κᾆτ᾽ ἀπεύχομαι
Ἄρτεμιδι θύσειν.

Idem Calchas in Iph. Taur. 17 sqq.:

ὦ τῆσδ᾽ ἀνάσσων Ἑλλάδος ϛρατηγίας
Ἀγάμεμνον, οὐ μὴ ναῦς ἀφορμίσῃς χθονός,
πρὶν ἂν κόρην σὴν Ἰφιγένειαν Ἄρτεμις
λάβῃ σφαγεῖσαν· ὅτι γὰρ ἐνιαυτὸς τέκοι
κάλλιϛον, εὔξω φωσφόρῳ θύσειν θεᾷ.

Quod Agamemno tunc ηὔξατο (= ὑπέϛη θῦμα) θύσειν, id nunc eundem ἀπεύχεσθαι Ulysses erat dicturus. Cf. Hippol. 891. Naberus mecum communicavit se malle:

κᾆτα φείδομαι
Ἀρτέμιδι θύειν.

Lectori permitto iudicium.

Ibidem vs. 541 sqq. Agamemno ad fratrem:

ἕν μοι φύλαξον Μενέλεως ἀνὰ ϛρατὸν
ἐλθών, ὅπως ἂν μὴ Κλυταιμνήϛρα τάδε
μάθῃ, πρὶν Ἅιδῃ παῖδ᾽ ἐμὴν προσθῶ λαβών,
ὡς ἐπ᾽ ὀλιγίϛοις δακρύοις πράσσω κακῶς.

(¹) Si modo repugnat. Videantur enim quae scripsit Wecklein, *Ars Sophoclis emendandi* p. 68 et nuperrime *Studien zu Aeschylos* p. 131 sq. Attamen verbum ψεύδομαι num satis aptum sit, valde dubito.

Quia praegressis voculis ὅπως ἄν in versu quarto non opus est nova coniunctione finali, neque Agamemno sine gravi crudelitatis suspicione dicere poterat, quod nunc legimus, *filiae necem*, modo clam uxore sua fieret, *paucissimis sibi lacrimis esse constituram*, voculam ὡς iungam cum superlativo ὀλιγίστοις et corrigam: χὠς (i. e. καὶ ὡς) ἐπ' ὀλιγίστοις κτἑ. i.e. *quam paucissimis lacrimis*.

Ibidem vs. 1375 in verbis Iphigeniae κατθανεῖν μέν μοι δέδοκται loci sententiam longe aliud postulare bene iudicavit Weilius, sed quod in editione sua reposuit μου δέδοκται Graecum esse pro κατέγνωσταί μου non nisi exemplis victus concedam. Insuper, quoniam non agitur de iudicio, de damnatione sermo esse nequit, sed decretum erat virgini esse moriendum; itaque scribere debuit poeta: κατθανεῖν μὲν ἐμὲ δέδοκται.

Cyclop. vs. 234 sqq.:

δήσαντες δέ σε
κλῳῷ τριπήχει κατὰ τὸν ὀφθαλμὸν μέσον.

Dindorfius in novissima editione pro ὀφθαλμόν e Scaligeri coniectura reposuit ὀμφαλόν. Factum nollem, siquidem κλῳός, collo circumdari solitus ventri vinciendae parum aptum erat instrumentum. Cf. Eupolis apud Ath. VI, p. 237A. Probabilius statuetur post haec verba quaedam periisse, ut sumamus narrare Silenum, de occaecando Cyclope iam tum socios Ulyssis deliberasse.

Euripidis fragmentum LXVIII apud Dind. sic editur:

ὁ φόβος, ὅταν τις σώματος μέλλῃ πέρι
λέγειν καταστὰς εἰς ἀγῶν' ἐναντίον,
τό τε στόμ' εἰς ἔκπληξιν ἀνθρώπων ἄγει,
τὸν νοῦν τ' ἀπείργει μὴ λέγειν ἃ βούλεται.

Absurde alteri tribuitur, quod est alterius. Scribere debuit et scripsit, ni fallor, Euripides:

τὸν νοῦν μὲν εἰς ἔκπληξιν ἀνθρώπων ἄγει,
τὸ δὲ στόμ' εἴργει μὴ λέγειν ἃ βούλεται.

Describentis errore posteaquam vocabula τὸ δὲ στόμ' et τὸν νοῦν μέν sedes permutaverant, corrector, non perspecta vitii natura, reliqua ita mutavit, ut metrum videbatur exigere.

Literae sigma cum iota confusae, cuius supra memoravi exempla, novum exemplum praebet fragmentum CCXXI (Dind.), quod sic editur:

πολλοὶ δὲ θνητῶν τοῦτο πάσχουσι κακόν·
γ ν ώ μ η φρονοῦντες οὐ θέλουσ' ὑπηρετεῖν
ψυχῇ, τὰ πολλὰ πρὸς φίλων νικώμενοι.

Sententia haec esse videtur: *Saepe homines quamvis sapiant, nolunt tamen animi sui prudentiae obsequi ab amicis* (consiliis puta et precibus) *vinci se patientes.* Quare leni manu correxerim:

γ ν ώ μ η φρονοῦντες οὐ θέλουσ' ὑπηρετεῖν
ψυ χ ῆ ς, κτέ.

quomodo metri angustiae coegerunt Euripidem dicere pro φρονοῦντες οὐ θέλουσ' ὑπηρετεῖν γνώμῃ ψυχῆς.

Similiter Sophocles O. R. 524 iunxit γνώμῃ φρενῶν et Plato Legg. II, p. 672 B τῆς ψυχῆς ἡ γνώμη.

Integrum versum intercidisse suspicor in fragmento CCLXXXVIII, sic fere supplendum:

vs. 13 sqq.: οἶμαι δ'ἂν ὑμᾶς, εἴ τις ἀργὸς ὢν θεοῖς
εὔχοιτο καὶ μὴ χειρὶ συλλέγοι βίον,
(μ α θ ε ῖ ν ἄ ν, ὡ ς ο ὐ κ ε ἰ σ ί ν. Α ἱ δ' ε ὐ π ρ α ξ ί α ι)
τα θεῖα π υ ρ γ ο ῦ σ' αἱ κακαί τε συμφοραι.

i. e. *verum divina* (sc. cultum deorum hominumque de illis opiniones) *stabiliunt augentque tam res secundae quam adversae* (quippe quae, licet revera fortuito cuidam rerum debeantur concursui, tamen a stultis mortalibus divino alicui numini tribui soleant). Ita ultimus versus violentissimis olim tentatus coniecturis vitio vacat, nisi quod in codicibus adversus metrum legitur π υ ρ γ ο ῦ σ ι ν.

Facilior est emendatio fragmenti ex *Eurystheo* (CCCLXXII), ubi sic Hercules ad fratrem:

πέμψεις δ' ἐς Αἵδου ζῶντα κοὐ τεθνηκότα
κ α ί μοι τὸ τέρθρον δῆλον ε ἰ σ π ο ρ ε ύ ο μ α ι.

Nemper alter versus sic corrigendus:

κ ἄ ν μοι τὸ τέρθρον δῆλον ᾖ, π ο ρ ε ύ ο μ α ι.

i. e. *etiamsi extremum periculum* (an *vitae finem?*) *mihi imminere manifestum sit, vado.* In priore versu malim πέμπεις, vel in posteriore πορεύσομαι, sed in hac verborum paucitate haec quidem quaestio est ad solvendum difficilior. Aliorum coniecturas vide apud Dindorfium (ed. Vta).

Etiam evidentius emendari potest fragmentum CDVII:

τίς ἆρα μήτηρ ἢ πατὴρ κακὸν μέγα
βροτοῖς ἔφυσε τὸν δυσώνυμον φθόνον;
ποῦ καὶ ποτ' οἰκεῖ σώματος λαχὼν μέρος,
ἐν χερσὶν, ἐν σπλάγχνοισιν, ἢ π α ρ' ὄμματα
ἔσ θ' ἡ μ ῖ ν; ὡς ἦν μόχθος ἰατροῖς μέγας
τομαῖς ἀφαιρεῖν ἢ ποτοῖσι φαρμάκοις
πασῶν μεγίστην τῶν ἐν ἀνθρώποις νόσων.

»Vitiosum est" verba sunt Dindorfii »*ἔσθ' ἡμῖν*, neque scribere licet *ἡμίν*." Verissime monuit; nam cum ea verba turpiter abundant, quia quaestionem terminari apparet vocabulo *ὄμματα*, tum aliud olim pro iis lectum esse luculenter docent verba sequentia *ὡ ς ἦ ν κτέ.*, quae verba iniuria sic interpretantur quasi scriptum extaret, *ὡ ς ἂ ν ἦ ν*. Falluntur enim qui particulam conditionalem in tali sententia omitti posse opinentur. Ipsa igitur illa voculae conditionalis omissio indicat, quid lateat sub depravatis illis vocabulis. Ne multa: certa emendatione refingo:

ποῦ καί ποτ' οἰκεῖ σώματος λαχὼν μέρος;
ἐν χερσὶν, ἐν σπλάγχνοισιν ἢ κ α τ' ὄμματα;
ε ἴ θ' ᾔ σ μ ε ν, ὡς ἦν μόχθος ἰατροῖς μέγας,
τομαῖς ἀφαιρεῖν ἢ ποτοῖσι φαρμάκοις
πασῶν μεγίστην τῶν ἐν ἀνθρώποις νόσων.

Utinam (id) *sciremus, ut magnus esset medicis labor aut secando aut potionibus tollere omnium gravissimum inter homines morbum.*

Ita *ὡς* fit coniunctio finalis, quae in huiuscemodi sermone e constanti scribendi norma Indicativo coniungitur. Notus est Aeschyli locus in Prometheo 152 sqq.:

ε ἰ γάρ μ' ὑπὸ γῆν νέρθεν Ἅιδου
τοῦ νεκροδέγμονος εἰς ἀπέραντον
Τάρταρον ἧ κ ε ν —
ω ς μήτε θεῶν μήτε τις ἀνδρῶν
τοῖσδ' ἐ γ ε γ ή θ ε ι.

Cf. Soph. El. 1130, Eur. Hippol. 1079 cett.

ΕΙΘΗΙΣΜΕΝ eo facilius in *ΕΣΘΗΜΙΝ* abire poterat, quod scribarum vulgus ignorabat antiquas formas Atticas *ᾖσμεν, ᾖστε, ᾖσαν*, pro quibus ipsi *ᾔδειμεν, ᾔδειτε, ᾔδεσαν* dicere solebant.

Levioris quidem est momenti nec tamen negligenda correctio fragmenti DCCCXCIX:

κρέασι βοείοις χλωρὰ σῦκ' ἐπήσθιεν
ἄμουσ' ὑλακτῶν, ὥςε βαρβάρῳ μαθεῖν.

ubi manifesto requiritur:

ὥς γε βαρβάρῳ μαθεῖν.

i. e. *quantum quidem barbarus intelligere poteram.* Verba videntur servi alicuius de Hercule. Cf. Dindorfii ad h. l. in ed. Vta Scenicorum annotatio p. 361 A.

CAPUT IV.

AD ARISTOPHANEM.

Quando solus sedeo in concione, ait Dicaeopolis in *Acharnensium* fabula vs. 29 sqq.:

ςένω, κέχηνα, σκορδινῶμαι, πέρδομαι,
ἀπορῶ, γράφω, παρατίλλομαι, λογίζομαι,
ἀποβλέπων ἐς τὸν ἀγρόν, εἰρήνης ἐρῶν,
ςυγῶν μὲν ἄςυ, τὸν δ' ἐμὸν δῆμον ποθῶν,
ὃς οὐδεπώποτ' εἶπεν, ἄνθρακας πρίω,
οὐκ ὄξος, οὐδ' ἔλαιον, οὐδ' ᾔδει πρίω,
ἀλλ' αὐτὸς ἔφερε πάντα χὠ π ρ ί ω ν ἀπῆ ν.

Πρίων participium esse statuunt comice fictum ab Imperativo *πρίω.* Quam sententiam impugnaturus quaero primum quae sit in ea fictione h. l. vis comica, quam sic demum intelligerem, si posset huic vocabulo inesse ambiguitas, ut simul de *serra* (*πριών*) cogitari posset. At *serram* intelligendo nihil nascitur faceti aut ridiculi. Deinde, quod est etiam gravius, si *πρίων* revera est participium comice fictum, vel sic verba *χὠ πρίων ἀπῆν* sensu vacua esse contendo. Nihil enim aliud possent significare quam et *emens aberat,* non quod putare videntur: *neque erat, qui emeret.* An Graecum esse existimas *καὶ ἀπῆν* pro *καὶ οὐκ ἦν*?

His igitur potissimum de causis non possum quin depravatum esse statuam

hemistichium et laetus animadverto iam Elmsleium in eadem fuisse sententia, sola tamen Stobaei sine varietate haec citantis auctoritate cohibitum. Cui auctoritati accedit Hesychii auctoritas, quem certe *πρίων* legisse testatur eius glossa *πριων*, *ἀγοράζων*, accedit scholiastae Ravennatis, qui adnotat: *τοῦτο παιδιὰ καλεῖται, ἀπὸ γὰρ τοῦ πρίω ῥήματος ὄνομα τὸ πρίων*. Constat sane his testimoniis magnam esse traditae lectionis vetustatem, sed minime inde efficitur ipsum Aristophanem, tot seculis antiquiorem, scripsisse quod prorsus ineptum est.

Nulla mihi innotuit in h. l. coniectura praeter hanc Elmsleii:

ἀλλ' αὐτὸς ἔφερε πάντα μὲν τὸ πρίω δ'ἀπῆν.

in qua scriptura fere otiosum videtur *τὸ πρίω δ'ἀπῆν* post illa *οὐδ' ᾔδει πρίω*.

Locus est eiusmodi, vix ut *certa ratione* sanari posse videatur. Dicam tamen quid mihi venerit in mentem. Nempe conieci:

ἀλλ' αὐτὸς ἔφερε πάντα χὠ θριῶν παρῆν.

i. e. *sed ipse ager omnia ad vitam necessaria ferebat, et aderat* (aderam) *qui ea meteret* (meterem). Soph. Ant. 261 *οὐδ' ὁ κωλύσων παρῆν*. Moestus haec superioribus addit Dicaeopolis, cum ceteris civibus, imminente Lacedaemoniorum incursione, rure retractus in urbem, *ubi agri sui fructus, vel si hostes iis pepercisset, horreo condere non poterat.* De forma syncopata *θρίζω* pro *θερίζω* (cf. *θράττω* pro *ταράττω*) satis constat. Eandem obiter restituas Dioni Chrysostomo Or. XXXV § 18: *καρποὺς ξύλων βρίζοντες καὶ τροφὴν ζῴων βδάλλοντες καὶ βλίττοντες*. Lege *θρίζοντες* pro *βρίζοντες*. Praepositiones autem *παρά* et *ἀπό* subinde a scribis confundi notum est.

Leve vitium hucusque, quod sciam, a criticiis neglectum est in eiusdem fabulae parabasi vs. 643, ubi inserto articulo legerim:

τοιγάρτοι νῦν οὐκ (pro *ἐκ*) *τῶν πόλεων τὸν φόρον ὑμῖν ἀπάγοντες*
ἥξουσιν ἰδεῖν ἐπιθυμοῦντες τὸν ποιητὴν τὸν ἄριστον.

Ibidem vs. 669 sqq. confusae sunt duae praepositiones:

οἷον ἐξ ἀνθράκων πρινίνων φέψαλος ἀνήλατ' ἐρεθιζόμενος οὐρίᾳ ῥιπίδι,
ἡνίκ' ἂν ἐπανθρακίδες ὦσι παρακείμεναι,
οἱ δὲ Θασίαν ἀνακυκῶσι λιπαράμπυκα,
οἱ δὲ μάττωσιν, κτέ.

Quia enim describitur coenae praeparatio, necdum pisciculi convivis sunt **appositi** (παρακείμεναι), sed **igni impositi**, manifestum duco poetae reddendum esse:

ἡνίκ' ἂν ἐπανθρακίδες ὦσιν ἐπικείμεναι

scil. τοῖς ἄνθραξιν, unde ipsum nomen ἐπανθρακίδες.

Hic usus verbi ἐπικεῖσθαι (ἐπιτιθέναι) notior, quam quem exemplis illustrem.

E duobus vocabulis male coniunctis ridicula lectio nata est in adnotatione scholiastae ad verba ὁ ταχὺς ἄγαν τὴν μουσικήν (Ach. 857). Adnotat enim ὡς ἐπὶ τροχοῦ ποιοῦντος αὐτοῦ ποιήματα. Miraris simul et misereris poetam *in rota pangentem carmina*. Sed salva res est. Grammaticus dederat nimirum ἐπίτροχα, i. e. ἐπιτρόχαλα, quae adiectiva de numerorum celeritate usurpari solent.

Maioris momenti est ipsius Aristophanis emendatio in *Acharnensium* parte extrema, ubi in festivissima descriptione Lamachi in bellum profecturi et Dicaeopolidis ad convivium ituri apparatuum, bellatori, qui servo suo imperat:

τὰ ϛρώματ', ὦ παῖ, δῆσον ἐκ τῆς ἀσπίδος

subsanniens alter succlamat:

τὸ δεῖπνον, ὦ παῖ, δῆσον ἐκ τῆς κιϛίδος.

quasi *coena* sportulae alligaretur, non conderetur in illa. Errorem iam animadvertit Schützius, sed non repperit quod verum est corrigens:

τὸ δέπας νυν, ὦ παῖ, κτἑ.

Dederat enim, si quid video, poeta:

τὸν δεῖνον, ὦ παῖ, κτἑ.

aut, quod eodem redit:

τὸν δῖνον κτἑ.

quo nomine poculum reperitur cum alibi apud comicos tum apud ipsum Aristophanem Vesp. 618. Cf. Athen. XI, p. 467, ubi Strattidis, aliorum loci citantur, apparetque forma δεῖνος, de qua vide, si tanti est, quae scripsi in *Addendis ad Meinekii Fragm. com. Gr* p. 45. Emendationem nostram confirmat consummata poetae ars, qua per totam hanc scenam lenissimis mutationibus Dicaeopolis dicta a Lamacho in sententias longe diversas lepidissime detorquet.

Literarum *O* et *Є* confusionis novum praebet exemplum *Equitum* locus vs. 143:

ἀλλαντοπώλης ἔσϑ' ὁ τοῦτον ἐξελῶν.

Ita editum est ex uno Ravennati, ceteris libris haud paullo rectius conspirantibus in *ἐξολῶν*, quam lectionem non modo confirmat tota vicinia (cf. vs. 135 et 138), sed insuper Agoracritus Cleonem non *ἐξελαύνει*, i. e. *pellit e civitate*, sed *perdit*. Simile vitium nuper feliciter sustulit ex *Hecub.* vs. 946:

ἐπεί με γᾶς
ἐκ πατρίας ἀπώλεσεν

rescribendo *ἀπήλασεν* Wecklein (Jahrbücher f. Phil. 1870 p. 577).

Ibidem vs. 756 sqq.:

νῦν δή σε πάντα δεῖ κάλων ἐξιέναι σεαυτοῦ
καὶ λῆμα ϑούριον φορεῖν καὶ λόγους ἀφύκτους,
ὅτοισι τόνδ' ὑπερβαλεῖ. ποικίλος γὰρ ἀνὴρ κτέ.

Scholiasta metricus, (ut animadvertit in sua *Equitum* editione Ribbeckius) quippe qui loquatur *de tribus* versibus asynartetis, pro *ἐξιέναι* simplex verbum *ἰέναι* legisse videtur. Sed nondum intellectum est, quid qui eam lectionem agnoscerent legerint in antistrophes versu antithetico, qui est vs. 836. Docuit me eam rem quem olim contuli codex satis antiquus in bibliotheca Ambrosiana (L 39 Sup. N°. 3), in quo codice versus sic scriptus est:

γρ. μέγιςον
ὦ πᾶσιν ἀνϑρώποις φανεὶς κοινὸν ὠφέλημα.

Sibilanti litera male aucta videntur haec Agoracriti verba in *Equitibus* vss. 805 sqq.:

εἰ δέ ποτ' εἰς ἀγρὸν οὗτος ἀπελϑὼν εἰρηναῖος διατρίψῃ,
καὶ χῖδρα φαγὼν ἀναϑαρρήσῃ καὶ ςεμφύλῳ εἰς λόγον ἔλϑῃ, (ἐλϑών?)
γνώσεται οἵων ἀγαϑῶν αὐτὸν τῇ μισϑοφορᾷ παρεκόπτου,
εἶϑ' ἥξει σοι δριμὺς ἄγροικος, κατὰ σοῦ τὴν ψῆφον ἰχνεύων.
Ἃ σὺ γιγνώσκων τόνδ' ἐξαπατᾷς, καὶ ὀνειροπολεῖς περὶ σαυτοῦ.

Vitiosum est *σαυτοῦ*, quod ita demum ferri posset, si iam his verbis respiceretur ad ea quae Cleo post ducentos amplius versus infra dicturus est (vs. 1014—1024), id quod nemo facile contendet. Sed aperte his verbis respondetur ad ea quae Cleo modo dixerat:

ἔςι γὰρ ἐν τοῖς λογίοισι
ὡς τοῦτον δεῖ ποτ' ἐν Ἀρκαδίᾳ πεντωβόλου ἡλιάσασθαι κτέ.

Hinc non dubito, quin una abiecta litera, quam de metro sollicitus magistellus addere potuit, rescribendum sit:

καὶ ὀνειροπολεῖς περὶ αὐτοῦ.

i. e. *τοῦ δήμου*. Manifestum est *somnium* dici illud de stipendio iudicum in Arcadia oraculum, non Cleonis de se ipso promissum:

πάντως δ' αὐτὸν θρέψω 'γὼ καὶ θεραπεύσω
ἐξευρίσκων εὖ καὶ μιαρῶς ὁπόθεν τὸ τριώβολον ἕξει.

Nam hac quidem in re facile ei fidem habiturus erat isiciarius.

Ibidem vs. 1292 sqq.:

καὶ διεζήτηχ' ὁπόθεν ποτὲ φαύλως ἐσθίει Κλεώνυμος.
φασὶ μὲν γὰρ αὐτὸν ἐρεπτόμενον τὰ τῶν ἐχόντων ἀνέρων
οὐκ ἂν ἐξελθεῖν ἀπὸ τῆς σιπύης, τοὺς δ' ἀντιβολεῖν ἂν ὁμοίως·
ἴθ' ὦ ἄνα πρὸς γονάτων, ἔξελθε καὶ σύγγνωθι τῇ τραπέζῃ.

Kockio non temere suspectum fuit *ὁμοίως*, sed quod coniecit *ἀνοήτως* duplicem ob causam improbaverim, primum quod Graeci antiquiores pro eo adverbio constanter usurpant adiectivi plurale neutrum *ἀνόητα*, deinde quod aegre caremus particula *ἄν*. Longe sane praestat altera eius coniectura *ὁμοκλῇ*. Mihi non displiceret:

τοὺς δ' ἀντιβολεῖν ἂν ἐλεινῶς.

Cf. Vesp. 555: *ἱκετεύουσίν θ' ὑποκύπτοντες τὴν φωνὴν οἰκτροχοοῦντες.* Quod tamen certum sit, non facile reperietur.

Equitibus valedicturus non possum non significare mihi suspectam esse lectionem vs. 817 sqq.:

σὺ δ' Ἀθηναίους ἐζήτησας μικροπολίτας ἀποφῆναι
διατειχίζων καὶ χρησμῳδῶν, ὁ Θεμιςοκλεῖ ἀντιφερίζων.
κἀκεῖνος μὲν φεύγει τὴν γῆν, σὺ δ' Ἀχιλλείων ἀπομάττει.

Non enim ferendum videtur Praesens historicum positum *ἐκ τοῦ παραλλήλου* cum vero Praesenti. Legendum arbitror:

κἀκεῖνος μὲν ἔφευγεν τὴν γῆν, σὺ δ' Ἀχιλλείων ἀπομάττει.

Simili errore in *Pace* vs. 45 sqq. de Cleone iam mortuo dicitur:

ὡς κεῖνος ἀναιδέως σπατίλην ἐσθίει

et sic iam legisse scholiastam ex eius adnotatione apparet. Nihil tamen est certius quam reponendum esse ἤσθιεν. Iam antiquissimo tempore ЄCΘIЄ(N) in ЄCΘIЄI abiisse vides (¹).

Una litera transponenda Valckenaerius feliciter sanavit locum e *Nubibus*, qui legitur inde a vs. 872:

ἰδοὺ κρέμαι' ὡς ἠλίθιον ἐφθέγξατο
καὶ τοῖσι χείλεσιν διερρυηκόσιν.
πῶς ἂν μάθοι ποθ' οὗτος ἀπόφυξιν δίκης
ἢ κλῆσιν ἢ χαύνωσιν ἀναπειστηρίαν.

Nondum cognita summi viri emendatione suspicabar, collatis vs. 318 et Eq. vs. 1379 sqq. scholiisque ad utrumque locum, ἢ κροῦσιν legendum esse. Sed nuper Vollgraffius meus in dissertatione Academica, quae inscribitur *Studia Palaeographica*, p. 52 sqq. docuit e Valckenaerii schedis ineditis eum correxisse: κήλησιν ἢ χαύνωσιν κτέ.

Fallitur autem doctus adolescens, opinatus duplex ἢ in huiuscemodi loco esse necessarium, ideoque inter hunc et sequentem versum unum pluresve versiculos interiisse. Quod non scripsisset, si animadvertisset non de tribus rebus distinctis h. l. sermonem esse, sed primum in genus memorari *artem causae vincendae*, deinde modos peculiares, quibus id fieri possit; qui quum eiusmodi sint, ut alter alterum non excludat, simplex ἢ quin recte habeat non fuerat dubitandum. Nec quicquam excidisse universi loci ratio abunde testatur. Virgula autem incidatur post δίκης. — Duplex ἢ pro simplici obiter reddas Demostheni VIII § 6: ὡς πολεμεῖν ἢ ἄγειν εἰρήνην δεῖ. Cf. § 4.

Ibidem vs. 784:

ὁτιὴ τί; ναὶ πρὸς τῶν θεῶν, ὦ Σώκρατες.

In codice Ravennati, quem contuli anno MDCCCLVII, non ita legitur, sed perspicue scriptum est:

(¹) Simili errore obiter liberetur locus PLATONIS ex *apologia Socr.* p. 21 A, ubi de Chaerephonte iam mortuo Socrates ad iudices:

Χαιρεφῶντα γὰρ ἴστε που κτέ. Legerim ᾔστέ που. Contra Arist. *Conc.* vs. 1086 χαλεπαί γ' ἂν ἦστε γενόμεναι πορθμῆς sub forma sequiore ἦστε (pro ἦτε) nescio an delitescat ἴστε, i. e. „*scitote* molestas vos futuras esse portitores." Iungendum esse ἂν γενόμεναι vix est quod moneam.

ὁτιὴ τίναισ πρὸς κτὲ.

Merus tamen scribae error est; nam quod primo impetu cogitabam:

ὁτιὴ τί; ναί. σε πρὸς θεῶν κτὲ.

verum esse non potest, siquidem in hac formula, quam vereor ne sit a comoedia aliena, pronomini locus est non ante praepositionem, sed post eam.

Ibidem vs. 1149 sq.:

καί μοι τὸν υἱόν, εἰ μεμάθηκε τὸν λόγον
ἐκεῖνον, εἴφ', ὃν ἀρτίως εἰσήγαγες.

Sermonis proprietas postulare videtur formam mediam εἰσηγάγου, a qua lectione proxime abest quod repperi in codice Ambrosiano εἰσήγαγον. Relativum ad *filium* pertinere non ad *orationem* assentior Teuffelio.

Nulla est facile confusio crebrior quam pronominum ὑμεῖς et ἡμεῖς.

Plurimis quidem locis utrum eligendum sit, non est optio difficilis; est vero ubi sit difficillima. Huc pertinet *Vesparum* locus, qui est vs. 64 sqq.:

ἀλλ' ἔστιν ἡμῖν λογίδιον γνώμην ἔχον,
ὑμῶν μὲν αὐτῶν οὐχὶ δεξιώτερον,
κωμῳδίας δὲ φορτικῆς σοφώτερον.

Potuit sane poeta dicere argumentum Vesparum non superare spectatorum, quam non semel in fabulis suis laudavit, sapientiam, sed non tam gravis et directa intercedit inter spectatores et scurrilem comoediam oppositio, ut, si haec eius mens fuisset, commode pronomen αὐτῶν addere potuisse videatur. Contra est, si legimus ἡμῶν.

Xanthias hic, quod apparet e praegressis, suscipit partes poetae: *Verum est* inquit, *nobis fabulae argumentum non inscitum, quod nostram quidem ipsorum sapientiam* (i. e. artis nostrae excellentiam, quam fabulis ante doctis abunde probavimus) *non superat, sed scitius est fabulis scurrilibus* (quales docent aemuli quidam nobis poetae. Cf. imprimis Ranarum initium). Si quis autem nimis immodeste ita de se suaeque artis praestantia loqui Aristophanem putat, is numquam satis diligenter eius parabases legisse mihi videtur.

Ibidem vs. 105:

ὥσπερ λεπὰς προσεχόμενος τῷ κίονι.

Non est probabile, in aedificio tot iudicum capaci unam tantummodo fuisse columnam. Quare malim:

προσεχόμενός τῳ κίονι.

Eodem vitio Elmsleius liberavit Acharn. 415, ubi editur:

δός μοι ῥάκιόν τι τοῦ παλαιοῦ δράματος,

scribendo: ῥάκιόν τί του.

Ibidem vs. 114 sq.:

τοῦτον οὖν φυλάττομεν
μόχλοισιν ἐνδήσαντες.

Neque Graecum est ἐνδεῖν μόχλοις, neque *vinctum* fuisse Philocleonem luculenter apparet e sequentibus. Si fuisset, nihil opus erat, opinor, ut tam anxie filius servique eius hominem identidem erumpere conantem custodirent. Ut paucis absolvam, reddatur Aristophani μόχλοισιν ἐγκλήσαντες. Ex ΕΓΚΛΗΣΑΝΤΕΣ casu elapsa est litera *K* et *Λ*, ut fit, confusa est cum *Δ*. Μόχλοισιν esse Dativum instrumenti, nec pendere a praepositione, vix est quod moneam.

Ibidem 242:

χθὲς οὖν Κλέων ὁ κηδεμὼν κτἑ.

Acute Meinekius nomen proprium ludimagistri esse ratus, coniecit:

ἐχθὲς μὲν οὖν ὁ κηδεμὼν κτἑ.

bene monens *in iambicis* Aristophanem ubique usum esse forma ἐχθές. Quae observatio non refellitur loco *Lysistratae* vs. 725:

εἰς Ὀρσιλόχου χθὲς τῶν τριχῶν κατέσπασα.

sed docet ibi edendum esse:

εἰς Ὀρσιλόχου 'χθὲς κτἑ.

qui locus nuper iniuria et turpi coniectura tentatus est a Madvigio; nam nihil esse in adverbio difficultatis luculenter docent vs. 880 sqq.: παιδίον ἄλουτον ὂν κἄθηλον ἕκτην ἡμέραν. Fingit igitur poeta inde a mulierum conventu in fabulae initio iam aliquot dies praeterlapsos esse. Melius, opinor, quarto ante versu haesisset in αὐτομολοῦσαν, quod verbum ubi recensentur varia mulierum fugiendi tentamina ferri non posse censeo. Sed quid lateat, non reperio.

Ut redeam ad Meinekii observationem, eam non tantum de Aristophanis valere fabulis sed ad ceteros quoque comicos pertinere mihi compertum est,

apud quos *ἐχθές sexies*, alteram formam *ne semel quidem* reperiri docet Iacobii index Graecitatis in fr. com. Gr. vol. V et VI.

Satis hinc liquet fragmentum ex *Anagyro* apud Schol. Av. 1292: *καὶ μὴν χθὲς γὰρ* (Porsonus *γ'*) *ἦν Πέρδιξ χωλός* frustra a Nauckio ad numeros iambicos revocari, sed potius anapaestorum tetrametrorum esse reliquias, neque magis probandam esse Halbertsmae mei coniecturam in Pace vs. 295:

οὐκ ἔςιν ἡμῖν· ἐχθὲς εἰσῳκίσμεθα

tentantis:

οὐκ ἔςιν ἡμῖν· χθὲς γὰρ εἰσῳκίσμεθα

sed potius corrigendum esse:

οὐκ ἔςιν ἡμῖν ἐχθὲς εἰσῳκισμένοις,

ut proposui in *Analectis Criticis* p. 49.

Vesp. 616:

κἂν οἶνόν μοι μὴ 'γχῇς σὺ πιεῖν, τὸν ὄνον τόνδ' εἰσκεκόμισμαι
οἴνου μεςὸν, κᾆτ' ἐγχέομαι κλίνας κτέ.

Κλίνας sine exemplo dictum pro *κλινείς*, quod ob brevem vocalem metrum non patiebatur. A scholiastis ea lectio, quantumvis ob raritatem memorabilis, non agnoscitur. In Victorianis quidem legitur *κλίνας· ἀνακλιθείς*, sed quam sit exigua aut potius nulla horum auctoritas docet G. Dindorfius in praefatione ad scholia (ap. Firminum Didotium). Ego quin *κλίνας* mendosum sit non dubito. Legendum arbitror:

οἴνου μεςον, κᾆτ' ἐγχέομαι κιρνὰς κτέ.

Formae *κίρνημι* pro *κεράννυμι* quamvis rarus certus est in comoedia usus. Aristophanes apud Pollue. III 195:

κιρνάντες γὰρ τὴν πόλιν ἡμῶν κοτυλίζετε τοῖσι πένησιν.

et vel in iambis ea forma reperitur Eccles. 841: *κρατῆρας ἐγκιρνᾶσιν* (e Davesii coniectura pro *κρατῆρα συγκιρνᾶσιν*), extra parodiam ut videtur. Ceterum maiorem in verborum usu licentiam sibi comici permittebant in anapaestis quam in iambis aut trochaeis. E multis huius rei apud Aristophanem documentis compares velim hac ipsa in fabula vs. 661 *κατένασθεν* (cf. *ἔκρυφθεν* in Eurip. Hippol. 1247, iniuria suspectum Nauckio et nuperrime Weilio), vs. 1080 *μενοινῶν*, Eq. 818 *ἀντιφερίζων*, Av. 568 *θύησι*, ut recte Meinekius scripsit pro *θύῃ τις*, ib. 609 *ζώει*, ib. 687 *ἀνέρες, αἰέν*, alia in

vicinia sermone Homerico, Lysistr. 348 *ὑποπίμπρησι*, Plut. 515 *Δηοῦς*, ibid. 565 *γραϊδίων* (pro *γρᾳδίων*). Quibus adde **Hermippi** fr. apud schol. Pac. 1240 *πασσαλόφι*, **Eupolis** ap. Ath. VI p. 263 E *ἄλλυδις ἄλλος* (in metro choriambico). Ex antiqua Atthide, non ex epico sermone, repetendum quod Eupolis ap. Ath. XII p. 535 in iambis tetrametris dixit *δάμαρτα*, et una cum Aristophane (vide utrumque apud Grammatic. Bekk. p. 382, 8) in senariis *ἀλφάνει*. Creditur praeterea Eupolis in senario usurpasse substantivum *κάρα* pro *κεφαλή*, sed versus procul dubio aliter sunt describendi. Haec enim leguntur apud Pollucem VII 168: *ἀλουτίαν δὲ Εὔπολις ἐν Ταξιάρχοις·*

ἀντὶ ποικίλου
πιναρὸν ἔχοντ' ἀλουτίᾳ κάρα τε καὶ
τρίβωνα

En versus, quales in mentem revocent Castorionis Solensis poema apud Ath. X p. 454 F:

σὲ τὸν βόλοις. νιφοκτύποις δυσχείμερον κτέ.

de quo non poenitebit meminisse quid scripserit Porsonus in supplemento ad praef. in Hecubam p. XXVII. Verum salva res est; sunt enim dimetri, sic constituendi:

υ — υ ἀντὶ ποικίλου
πιναρὸν ἔχοντ' ἀλουτίᾳ
κάρα τε καὶ τρίβωνα.

Unde simul confirmatur, quod etiam alia de causa suspicabar, male Meinekium in Fr. C. Gr. II p. 529 huic fragmento coniunxisse eiusdem poetae senarios, quos idem Pollux affert IX 58:

ὅτ' ἦν μέντοι νεώτερος, κρόκης
πέντε στατῆρας εἶχε κτέ.

Ut iam e diverticulo illuc unde orsus sum revertar, ne quis forte in loco requirat pro *κιρνάς* Aoristum, moneo praesentis temporis participium h. l. requiri, siquidem Philocles solus potaturus non utebatur cratera (qua ne in conviviis quidem semper utebantur), sed singula pocula identidem temperabat.

Vesp. 631 sqq., finita Philocleonis oratione, senum chorus admirabundus exclamat:

οὐπώποθ' οὕτω καθαρῶς
οὐδενὸς ἠκούσαμεν οὐ —
δὲ ξυνετῶς λέγοντος.

nec minus ipse orator exultat respondens:

οὔκ, ἀλλ' ἐρήμας ᾤεθ' οὗτος ῥᾳδίως τρυγήσειν.

Hucusque omnia, ut vides, recte et ordine procedunt, sed nemo facile expectaret, huius quam Bdelycleoni pater tribuit spei et opinionis talem reddi ab illo rationem: *καλῶς* γὰρ ᾔδειν ὡς ἐγὼ ταύτῃ κράτιςός εἰμι.

Nam quomodo quaeso filius, si probe noverat patris eloquentiam, eam ipsam ob rem dici poterat facilem sperare de illo victoriam? Nec loci difficultas fefellisse videtur Droijsenum, qui eam eludens vertit, ut solet, eleganter:

O nein: doch unbewachten Wein gedacht' er leicht zu lesen.
Und wuste *doch*, wie Meister stets im Reden ich gewesen,

quasi in Graecis esset *καίπερ σάφ' εἰδὼς* aut *καίτοι σάφ' ᾔδειν* ὡς κτέ.

Sed lenius requirens remedium non diu frustra quaesivi. Nam unius literulae mutatione corrigam:

κακῶς γὰρ *ᾔδειν* ὡς ἐγὼ ταύτῃ κράτιςός εἰμι.

i. e. *ἠγνόει* γὰρ ὡς κτέ.

Hac vi κακῶς εἰδέναι non ita rarum est. In promptu sunt mihi loci ISOCRATIS de Pace § 32 et XENOPHONTIS Cyrop. II, 3 § 13, sed saepius me legere memini.

Ibidem vs. 688 e codicibus editur:

ὡδὶ διαβὰς *διακινηθεὶς* τῷ σώματι καὶ τρυφερανθείς.

Sed nauci esse διακινηθεὶς planissime assentior Meinekio, leniter sane corrigenti:

ὡδὶ διαβὰς καὶ *διακναισθεὶς* κτέ.

Non tamen ipsum illud verbum, quod loci ratio postulat, repperisse mihi videtur. Nam de *mollibus* adhiberi solebant verba κατακλᾶσθαι et διακλᾶσθαι, ut *frangi* apud Latinos. Comicus anonymus apud Clementem Alex. Paed. III, p. 108 Sylb.:

τὸ δ' ὅλον οὐκ ἐπίςαμαι
ἐγὼ ψιθυρίζειν οὐδὲ *κατακεκλασμένος*
πλάγιον ποιήσας τὸν τραχηλὸν περιπατεῖν

(quod alius poeta uno vocavit verbo *κλασαυχενεύεσθαι*)

ὥσπερ ἑτέρους ὁρῶ κιναίδους ἐνθάδε
πολλοὺς ἐν ἄςει καὶ πεπιττοκοπημένους.

Altero composito cum aliis usi sunt ARISTOPHANES Thesmoph. 163 et LUCIANUS Demon. c. 18. Hinc corrigendum videtur:

ὡδὶ διαβὰς καὶ διακλασθεὶς τῷ σώματι καὶ τρυφερανθεὶς.

Ibidem vs. 733 sqq.:

σοὶ δὲ νῦν τις θεῶν
παρὼν ἐμφανής
ξυλλαμβάνει τοῦ πράγματος καὶ δῆλός ἐςιν εὖ ποιῶν,
σὺ δὲ παρὼν δέχου.

Immo *παρόν*, i. e. *παρέχον*, *data occasione, quum liceat.*

Pessime habitus est a librariis eiusdem dramatis locus, qui legitur inde a vs. 771 sic scriptus:

καὶ ταῦτα μέν νυν εὐλόγως, ἢν ἐξέχῃ
εἵλη κατ' ὄρθρον, ἡλιάσει πρὸς ἥλιον·
ἐὰν δὲ νίφῃ, πρὸς τὸ πῦρ καθήμενος,
ὕοντος εἴσει· κἂν ἔγρῃ μεσημβρινὸς,
οὐδείς σ' ἀποκλήσει θεσμοθέτης τῇ κιγκλίδι.

Nihilquidquam lucramur Meinekii in *Vindiciis Aristophaneis* observatione *εἴσει* non esse ab *οἶδα*, sed ab *εἰσέρχομαι* derivandum. Nam scire pervelim, quo pacto is, qui modo *foco assidere* dictus est, nunc dici possit *intrare aedes,* neque magis expedio omissionem voculae *δέ*. Hoc unum video graviter depravata esse verba *ὕοντος εἴσει*. Propter verba sequentia expectabam quidem dixisse Bdelycleonem: *somno ad lubitum indulgebis*, aut aliquid simile, verbi gratia *εὕδων δ' ὀνήσει* vel *ὕπνου δ' ὀνήσει*, sed quod certum sit frustra quaesiveris, idque eo magis quia in praegressis laborant verba: *ἢν ἐξέχῃ εἵλη*. Nam recte quidem, quod docet nota puerorum cantilena, *ἐξέχειν ἥλιος* dicebatur, sed *εἵλη* non item. Speciem aliquam habet Reiskiana coniectura: *ἢν ἐξέγρῃ εἵλης κατ' ὄρθρον.*

Non minus gravem labem passa videntur quae leguntur in vicinia vs. 757 sqq., ubi senex in certamine victus a filio, sed tamen non minus quam antea iudicandi prurigine laborans (cf. vs. 763) exclamat:

μὰ τὸν Ἡρακλέα
μὴ νῦν ἔτ' ἐγὼ 'ν τοῖς δικαςαῖς
κλέπτοντα Κλέωνα λάβοιμι.

Ipsum enim contrarium iure expectes. Nam quid quaeso ardentius Philocleo concupiscere poterat, ex quo a filio edoctus est demagogorum furta et iniurias, quam ut eorum principem ulcisceretur? Etiam hoc valde dubito, num Graecum sit: λαμβάνειν τινὰ κλέπτοντα pro αἱρεῖν. Nam λαμβάνειν τινὰ κλέπτοντα est: *in furto aliquem deprehendere*, αἱρεῖν τ. κλ. *furti aliquem convincere*, fitque hoc in iudicio.

Iam vero e verbis ἐν τοῖσι δικαςαῖς nemo umquam probabilem lectionem exculpserit. Quare suspicor hic quod saepius factum est accidisse, veterem lacunam olim a magistellis male expletam esse et Aristophanis esse haec tantum verba:

μὰ τὸν Ἡρακλέα
μὴ νῦν ἔτ' ἐγὼ * * *
κλέπτοντα Κλέωνα λάβοιμι.

Quam lacunam non improbabiliter mihi videor explevisse scribendo:

μὰ τὸν Ἡρακλέα
μὴ νῦν· ἔτ' ἐγὼ ζῴην, εἰ μὴ
κλέπτοντα Κλέωνα λάβοιμι,

i. e. *moriar, ni in furto deprehendam Cleonem* (ut deprensum damnare possim in iudicio). Si quid nosti rectius istis, candidus imperti cett.

Ibidem vs. 1474 sq.:

νὴ τὸν Διόνυσον, ἄπορά γ' ἡμῖν πράγματα
δαίμων τις εἰσκεκύκληκεν εἰς τὴν οἰκίαν.

Num satis recte Graece dicatur εἰσκυκλεῖν πράγματα, κακά, similia, vehementer dubito. Scribendum arbitror:

δαίμων τις εἰσκεκύλικεν κτέ.

collato cum usu verbi simplicis ex Homero notissimo, tum locis Aristophaneis etsi paullo diversis, similibus tamen, Thesmoph. 650 sq.:

κακοδαίμων ἐγώ,
εἰς οἷ' ἐμαυτὸν εἰσεκύλισα πράγματα.

et ibidem 766:

ὁ μὲν γὰρ αἴτιος
κἄμ' εἰσκυλίσας εἰς τοιαῦτα πράγματα κτέ.

Rectissime olim Bentleius *Pac.* 7 pro περικυκλίσας restituit περικυλίσας, quod hodie receptum ab omnibus. Eiusdem verbi formam sequiorem obiter restituam Dioni Chrysostomo Or. III, § 68 (Emp.): *ἡ ψυχὴ δὲ ὑπὲρ ἐκείνου πάσας μὲν φροντίδας φροντίζει, πάσας δὲ ἐπινοίας σκύλλει.* Immo: κυλίει, i. e. *animo volvit, volutat.* Antiquam formam reddiderim Alexidi apud Ath. VI, p. 237 B:

ὀφρῦς ἔχον
χιλιοταλάντους ἀνακυλῖόν τ' οὐσίας.

Legatur ἀνακυλῖνδον, et fortasse totus versus sic corrigendus:

χιλιοταλάντους τ' ἀνακυλῖνδον οὐσίας.

quia nulla erat in metro causa, cur poeta voculam τε traiiceret.

Ibidem vs. 1250 haec Bdelycleo ad patrem:

ὅπως δ' ἐπὶ δεῖπνον εἰς Φιλοκτήμονος ἴμεν.
παῖ παῖ, τὸ δεῖπνον, Χρυσέ, συσκεύαζε νῷν,
ἵνα καὶ μεθυσθῶμεν διὰ χρόνου.
Phil. μηδαμῶς.

Loco sic distincto, verba ἵνα — χρόνου parum apte dicuntur ad servum, qui coenam in cistam includere (cf. Ach. 1098) iubetur, quum tamen satis sit, ut arbitror, manifestum his verbis filium continuare, quam ad patrem instituerat orationem. Locus igitur sic erit interpungendus:

ὅπως δ' ἐπὶ δεῖπνον εἰς Φιλοκτήμονος ἴμεν,
— παῖ παῖ, τὸ δεῖπνον, Χρυσέ, συσκεύαζε νῷν —
ἵνα καὶ κτέ.

ut verba ἵνα — χρόνου suspensa sint ex illis ὅπως — ἴμεν, cetera herus clamet ad servum *διὰ μέσου.* Vs. tertii numeros correxit Cobetus V. L. p. 257 rescribendo:

ἵνα καὶ μεθύωμεν διὰ χρόνου. Phil. (μή), μηδαμῶς.

Vehementer mihi suspecta est vs. 1335 interiectio hoc unico loco lecta ἰεῦ, ubi nescio cui minitanti ἀθρόοι γὰρ ἥξομέν σε προσκαλούμενοι Philocles cum contemptu respondet: *ἰὴ ἰεῦ καλούμενοι· ἀρχαῖά γ' ὑμῶνκτέ.* Loci ratio ea est ut reponere non dubitem ἰή, ἰδοὺ καλούμενοι. Voculae ἰδοὺ sic usurpatae exempla ubique in comoedia praesto sunt. Cf. tamen Schol.

Pacis vs. 1 sqq.:

A. αἶρ' αἶρε μᾶζαν ὡς τάχιςα (l. *τάχος τῷ* cum Kiehlio) *κανθάρῳ.*
B. ἰδού. A. Δὸς αὐτῷ τῷ κάκις' ἀπολουμένῳ,
καὶ μή ποτ' αὐτῆς μᾶζαν ἡδίω φάγοι.

Vs. 2 haereo in *αὐτῷ*, quod ita demum recte adderetur, si servus metueret, ne conservus alii daret quam scarabaeo, aut ipse comederet. Qualis iocus ab h. l. alienus videtur, quum praesertim poeta brevi post vs. 13 sq. simile quid non obscure sed apertissime luserit. Si igitur *αὐτῷ* sanum est, erit distinguendum: *δὸς αὐτῷ, τῷ κάκις' ἀπολουμένῳ*, ut tria ultima vocabula fiant pronominis *αὐτῷ* epexegema. At valde vereor ne hoc alienum sit a scribendi usu Aristophanis et sub *αὐτῷ* aliud delitescat. Lenissima quidem emendatio foret *δὸς αὐτὴν κτέ.*, sed quia in concitata oratione pronomen (obiectum) elegantius omittitur, nescio an praeferendum sit:

δὸς αὖθις τῷ κάκις' ἀπολουμένῳ

qua lectione indicetur demisso aulaeo servos iam in medio opere esse occupatos.

Ibidem vs. 370: *κᾆτα τῷ τρόπῳ οὐκ ᾐσθόμην ἀγαθὸν τοιουτονὶ λαβών;* *Λαμβάνειν κακόν* per se optime dicitur, veruntamen hoc loco nescio an Aristophanes potius scripsisse putandus sit *λαχών*, ut ita continuetur iocus, qui inest vs. 364 sq.

Vs. 405 suspecta in Aristophane optativi forma removeri potest scribendo *ἴσως γὰρ ἀναπείσεις ἐμέ* pro *ἂν πείσαις*.

Ibidem vs. 101. Ravennas non habet, quod creditur, *ἐπικλείειν* sed *ἐπικλείην*. Atticam formam *ἐπικλῄειν* de Meinekii coniectura recepit Dindorfius.

Ibidem 628 et 680. »Scribendum est' ait Meinekius, aut in Trygaei oratione *ἐνδίκως* aut in responso *ἐν δίκῃ*." Nequaquam perinde est, nam ut *ἔνδικος* et *ἐνδίκως* sunt tragoediae propria pro *δίκαιος* et *δικαίως*, sic *ἐν δίκῃ* non abhorret ab usu sermonis popularis. Utrobique ergo legatur *ἐν δίκῃ*.

Ibidem vs. 832 sqq.:

Serv. *οὐκ ἦν ἄρ' οὐδ' ὃ λέγουσι, κατὰ τὸν ἀέρα*
ὡς ἀςέρες γιγνόμεθ', ὅταν τις ἀποθάνῃ;
Tryg. *μάλιςα.* Serv. *καὶ τίς ἐςιν ἀςὴρ νῦν ἐκεῖ;*
Tryg. *Ἴων ὁ Χῖος, ὅσπερ ἐποίησεν πάλαι*
ἐνθάδε τὸν Ἀοῖόν ποθ'· κτέ.

Hamakerus locum vitiosum esse bene intelligens minus feliciter coniecit:

καὶ τίς ἑῷος ἀςὴρ ἐς' ἐκεῖ.

Aliquanto enim lenius et probabilius possis:

καὶ τίς ἐς' ἑῷος νῦν ἐκεῖ;

subaudito ἀςὴρ e praegressis, quod interpretamenti loco superscriptum, ut fit, expulit vocabulum genuinum.

Ibidem ad vs. 1014 est in Veneto codice hoc scholium sine lemmate: ὅτι ἐξεβλήθη τὸ η'. Praecedit autem haec adnotatio: διπλῆ καὶ ἔκθεσις εἰς ἰάμβους τριμέτρους ζ'. Significare igitur videtur olim fuisse octo, sed octavum versum (ut spurium?) eiectum esse.

Avium vs. 14 legitur:

ὁ πινακοπώλης Φιλοκράτης κτέ.

secundum scholiastam: ἀντὶ τοῦ ὁ ὀρνεοπώλης, ὅτι τὰ λιπαρὰ τῶν ὀρνέων ἐπὶ πινάκων τιθέντες ἐπώλουν eademque fere refert Photius sub voce πινακοπώλης. Vix autem potest dubitari Grammaticorum hoc esse αὐτοσχεδίασμα ad obscurum vocabulum interpretandum; neque in ea interpretatione sibi constant; sequuntur enim haec: ἢ πίναξ εἶδος ὀρνέου, quod impudentissimum mendacium esse noli dubitare. Et fac illud de *tabulis* commentum verum esse, parum tamen videtur probabile inde nomen inditum esse avium venditoribus, non tabulas ipsas vendentibus opinor, sed impositas iis aviculas, idque eo minus quod πινακοπῶλαι, ut par est, dicebantur tabularum pictarum mercatores.

His igitur de causis suspicor vetustum nos ludificari in hoc vocabulo errorem et dedisse olim poetam:

ὁ σπιζοπώλης Φιλοκράτης μελαγχολῶν

ut, quia σπῖζαι (*fringillae*) notiore vocabulo σπίνοι dicebantur, sumamus, *ΟCΠΙΖΟΠΩΛΗC* primum abiisse in *ΟCΠΙΝΟΠΩΛΗC*, tum in *ΟΠΙΝΟ ΠΩΛΗC* (quemadmodum vs. 1079, ubi Ravennas habet σπίννους, in Veneto est πίννους e Cobeti collatione, πίνους e Bekkeri), tandem pro hoc, quia metro excludebatur, substitutum esse *ΟΠΙΝΑΚΟΠΩΛΗC*, vocabulum bene Graecum, sed ad loci sententiam parum idoneum. Infra vs. 1077 sqq. de eodem Philocrate haec legimus:

ἢν ἀποκτείνῃ τις ὑμῶν Φιλοκράτη τὸν Στρούθιον,
λήψεται τάλαντον, ἢν δὲ ζῶν τις ἀγάγῃ, τέτταρα,
ὅτι συνείρων τοὺς σπίνους πωλεῖ καθ' ἑπτὰ τοὐβολοῦ.

Nostrates quoque et Germani ab hac avicula nomen indiderunt avium venditoribus.

Ibidem 435 sq.:

πυκνότατον κίναδος
σόφισμα, κύρμα, τρῖμμα, παιπάλημ' ὅλον.

Suspectum est *κύρμα* dictum de homine astuto et fraudulento, etsi iam Hesychius sic legisse videtur, qui interpretatur: *πολλοῖς ἐγκεκυρηκὼς πράγμασιν*. Forsitan corrigi possit:

σόφισμα, κύρβις, τρῖμμα κτέ.

collato Nubium loco 447 sqq.:

τοῖς ἀνθρώποις τ' εἶναι δόξω
θρασύς, εὔγλωττος, τολμηρὸς, ἴτης,
βδελυρὸς, ψευδῶν συγκολλητής,
εὑρησιεπής, περίτριμμα δικῶν,
κύρβις, κρόταλον, κίναδος, τρύμη κτέ.

nec mirum, si tot substantivorum in *μα* desinentium vicinia illius vocabuli nocuit terminationi.

Non recte interpretari mihi videntur ibidem vs. 445 sqq.:

Chor. ὄμνυμ' ἐπὶ τούτοις, πᾶσι νικᾶν τοῖς κριταῖς
καὶ τοῖς θεαταῖς πᾶσιν.
Peith. ἔςαι ταυταγί.
Chor. εἰ δὲ παραβαίην, ἑνὶ κριτῇ νικᾶν μόνον.

Vulgo enim locus ita intelligitur, quasi *ἑνὶ κριτῇ νικᾶν μόνον* significet *ἡττᾶσθαι*, quia uno iudice vincere nemo possit. Mihi contra *uno iudice vincere* solus is recte dici videtur, qui puncta fert uno plura quam dimidiam omnium suffragiorum partem, siquidem hoc uno puncto fit, ut vincat. Nisi igitur egregie fallor, festive et more prorsus Aristophaneo haec chorus subiungit *παρ' ὑπόνοιαν*, a cladis suae mentione *vel ominis causa* abstenturus. Utrum omnium iudicum suffragiis an tribus tantum suffragantibus victoriam reportet, modo superior egrediatur e certamine, choro perinde est.

Ibidem vs. **494** sqq.:

ἐς δεκάτην γάρ ποτε παιδαρίου κληθεὶς ὑ π έ π ι ν ο ν ἐν ἄςει,
κ ἄ ρ τ ι καθῆυδον· καὶ πρὶν δ ε ι π ν ε ῖ ν τοὺς ἄλλους, οὗτος ἄρ' ᾖσε,
κἀγὼ νομίσας ὄρθρον ἐχώρουν Ἁλιμοῦντάδε κ ἄ ρ τ ι προκύπτω
ἔξω τείχους, καὶ λωποδύτης παίει ῥοπάλῳ με τὸ νῶτον.

Verbum *δειπνεῖν* mendosum esse bene intellexit Madvigius. Etenim non ea hora Graeci coenabant, ut in huiuscemodi errorem homo vel plane ebrius, nedum is qui crapulam somno curaverat, incidere ullo modo potuisset; noctu autem Euelpidem rus proficisci e tota loci ratione luculenter apparet. Quod autem vir praeclarus coniecit *δ ι υ π ν ε ῖ ν* ab ipso fictum est nimium infeliciter, quippe quo vocabuli portento nemo umquam Graecorum omnium usus sit aut uti potuerit, siquidem unum *ὑ π ν ο ῦ ν* Graecum est, nec tamen Atticum. Nihilominus latere *dormiendi* aliquod verbum mihi quoque est persuasissimum. Optime, ni fallor, scriberetur:

καὶ πρὶν ῥ έ γ κ ε ι ν τοὺς ἄλλους κτέ.

quod comice dictum foret pro *καθεύδειν*, ut Nub. 9.

Locum sic intelligo. Euelpides ad pueri nominalia celebranda vocatus ab amico largius bibit (*ὑποπίνει*), et potus nondum finito convivio cubitum it, in amici puta aedibus crapulam edormiturus. Nondum diu dormiverat, quum, ante quam ceteri convivae (qui sero cubitum ivisse putandi sunt) sterterent, caneret gallus. Expergefactus Euelpides, iam diluculum esse ratus, discedit Alimuntem cett.

Insuper vero sic scriptum malim:

ὑ π έ π ι ν ο ν ἐν ἄςει,
κ α ί τ ι καθηῦδον, καὶ πρὶν ῥ έ γ κ ε ι ν τοὺς ἄλλους, οὗτος ἄρ' ᾖσεν,

i. e. *largius potabam, et aliquid somni capiebam* cett.

Si quis tamen pro *δειπνεῖν* aliquid excogitaverit quod propius a literarum ductibus absit quam *ῥέγκειν*, nemini fecerit quam mihi gratius. Loci sententiam me assecutum esse non dubito.

Ibidem vs. **1250**, ubi contra constantem poetae eiusque aequalium usum legitur *πλεῖν ἑξακ οσίους*, rescribere non dubitem *πλεῖν ἢ 'ξακοσίους*. Nam

spiritum asperum non impedire elisionem apparet e loco PHILEMONIS apud Athenaeum XII p. 516 F:

τί γὰρ
τούτων διάπτωμ' ἐγένετ' ἢ 'μάρτημα τί;

Et in DAMOXENI fragmento apud eundem I p. 15 b coniectura admodum probabili Porsonus in hunc modum supplevit lacunam:

νεανίας τις ἐσφαίριζεν εἷς
ἐτῶν ἴσως (ἑκκαίδεκ' ἢ) 'πτακαίδεκα.

Lysistratae vs. 149 sqq.:

εἰ γὰρ καθήμεθ' ἔνδον ἐντετριμμέναι
κἀν τοῖς χιτωνίοισι τοῖς ἀμοργίνοις
γυμναὶ παρίοιμεν, δέλτα παρατετιλμέναι,
ςύοιντο δ' ἄνδρες κἀπιθυμοῖεν σπλεκοῦν,
ἡμεῖς δὲ μὴ προσίοιμεν, ἀλλ' ἀπεχοίμεθα,
σπονδὰς ποιήσαιντ' ἂν ταχέως, εὖ οἶδ' ὅτι.

Halbertsma meus pro depravato προσίοιμεν coniecit προσείμεθ', quod probavit bene multis, nec mihi displiceret, nisi Imperfecti potius quam Aoristi Optativum requireret verbi actio quavis occasione identidem repetita, ut in vicinia legitur παρίοιμεν, ἐπιθυμοῖεν, ἀπεχοίμεθα, quibus deinde opponitur, quod semel futurum erat, ποιήσαιντ' ἄν. Multo igitur malim, una tantum litera mutata rescribere:

ἡμεῖς δὲ μὴ προσιοίμεθ', ἀλλ' ἀπεχοίμεθα,

quod illum proponere non ausum esse suspicor ob correptam praeter consuetudinem vocalem iota. At eandem corripit ipse ARISTOPHANES in *Avium* vs. 946:

ξυνίημ' ὅτι βούλει τὸν χιτώνισκον λαβεῖν.

Possis quidem coniicere ibi non genuinum esse ξυνίημι et poetam dedisse ξυνῆκα, sed praeter mutationis violentiam traditam lectionem tuentur tres alii comicorum loci: poetae *anonymi* apud Ioannem Alex. de acc. p. 32, 23:

βαὺ βαὺ καὶ κυνὸς φωνὴν ἱείς.

PHILEMONIS ap. Athen. XIV p. 659 b:

ἁπλῶς γὰρ οὐδὲ ἓν μὰ τοὺς θεοὺς
ὧνπερ λέγει ξυνίημι κτέ.

et STRATONIS apud eundem IX p. 382 C. Cf. Dobreus ad Porsoni not. in Aristoph. addend. p. 98 sq. Ad solos novae comoediae poetas hanc licentiam restringendam esse in hac praesertim exemplorum paucitate (et anonymus ille poeta quando vixerit ignoramus), facilius affirmabitur quam demonstrabitur. Si quis nihilominus illam sententiam amplectitur, me quidem non habebit sibi assentientem, sed monstrabo ei tamen rationem qua, salva illa opinione, Lysistratae locum expedire possit, nempe scribendo:

ἡμεῖς δὲ μὴ προσέχοιμεν, ἀλλ' ἀπεχοίμεθα,

in qua lectione non inelegans foret alliteratio. Ad hunc verbi usum conferatur *Pluti* vs. 155, *Hipparchi* comici locus apud Athen. VI p. 477 F., LUCIANUS Dial. Meretr. XII § 1. Naberus me admonuit, se malle παρέχοιμεν i. e. χαριζοίμεθα. A quo ita dissentio, ut verum esse putem προσιοίμεθ'.

Ibidem vs. 155 sq.:

ὁ γῶν Μενέλαος τᾶς Ἑλένας τὰ μᾶλά πο
γυμνᾶς παρενιδὼν ἐξέβαλ', οἰῶ, τὸ ξίφος.

Pro πο, quod legitur in optimo Ravennati, ceteri codices habent πα, Suidas που, utrumque de Grammatici alicuius, ut arbitror, coniectura; illud (πα) receptum est a plerisque editoribus. Factum nollem, nam ut voculae πα (= πῃ) in hac sententia locum esse concedamus, quod tamen neutiquam concedendum est, suspecta est forma Μενέλαος, pro qua Lacones Μενέλας dixisse satis constat.

Conieci:

ὁ γῶν Μενέλας τὰ μᾶλα τᾶς Ἑλένας πο(κά)
γυμνᾶς παραϝιδὼν (hoc cum Meinekio) κτέ.

Syllaba κα (quum fortasse in scholium aliquod marginale procurreret) neglecta olim a librariis versum claudum reddiderat. Supervenit corrector et transponendo metrum utcumque restituit.

Ibidem vs. 399 sq.:

τί δῆτ' ἄν, εἰ πύθοιο καὶ τὴν τῶνδ' ὕβριν;
αἳ τἄλλα θ' ὑβρίκασι κἀκ τῶν καλπίδων
ἔλουσαν ἡμᾶς, κτέ.

Non expedio articulum; quare leni manu corrigam:

αἵγ' ἄλλα θ' ὑβρίκασι κτέ.

Ibidem 316:

τὴν λαμπάδ' ἡμμένην ὅπως π ρ ό φ ρ ω ν ἐμοὶ προσοίσεις.

Ita Dindorfius edidit ex infelicissima Reisigii coniectura, quam non incertam dicere debuerat sed certissime falsam. Nam πρόφρων est vocabulum alienum a vitae communis usu, frequentatum ab epicis, lyricis, tragicis. Hinc locum suum optime tuetur vs. 930, ubi eo utitur dithyramborum poeta:

π ρ ό φ ρ ω ν δόμεν ἐμίν, τεΐν.

Codd. variant inter π ρ ῶ τ ο ν, π ρ ῶ τ ο ς, π ρ ώ τ ω ς, quorum nihil ferri potest. Mihi non displiceret π ά ν τ ω ς, i. e. *utique*. Sed quidquid statuetur, exturbandum est de textu πρόφρων.

Certa medicina parata est iis, quae corrupta leguntur vs. 187 sqq., ubi Calonice: Λυσιςράτη,

τίν' ὅρκον ὁρκώσεις ποθ' ἡμᾶς;

Lys. ὅντινα;

εἰς ἀσπίδ', ὥ σ π ε ρ φ α σ ὶ ν, Αἰσχύλος ποτέ,

μηλοσφαγούσας.

Sententiam non verba restituit Meinekius coniectura sua: ὡς ἐποίησεν. Verae lectionis vestigium hic quoque egregie servat liber Ravennas in quo est: ὥ σ π ε ρ φ α σ' ἐ ν Α ἰ σ χ ύ λ ῳ, in qua lectione Αἰσχύλῳ ex Αἰσχύλος, quod recte habent reliqui codd., male correctum esse apparet, ut praepositio ἐν haberet, quo referretur. Reliqua autem ΩCΠΕΡΦΑΣΕΝ leviter depravata sunt ex ΩCΠΕΡΕΦΡΑΣΕΝ. Scripserat enim Aristophanes:

ὅντινα;

εἰς ἀσπίδ', ὥ σ π ε ρ ἔ φ ρ α σ ε ν Αἰσχύλος ποτέ,

μηλοσφαγούσας κτέ.

i. e. ut *docuit* sive *ostendit* quondam Aeschylus. Isocr. XV § 117: δεῖ γὰρ οὐχ ἁπλῶς ε ἰ π ε ῖ ν ἀλλὰ σαφῶς φ ρ ά σ α ι περὶ αὐτῶν. Cf. Ran. 1055 sq. Saepius iungitur cum verbo δεικνύναι vel cum διδάσκειν.

Ibidem vs. 193 sqq.:

Calon. ἀλλὰ πῶς ὀμούμεθα

ἡ μ ε ῖ ς; Lys. ἐγώ σοι νὴ Δί', ἢν βούλῃ, φράσω.

Haud temere haerens in pronomine ἡμεῖς, magna cum vi in fine sententiae posito, Meinekius parum probabili, ut mea opinio fert, coniectura post ἵππον excidisse quaedam suspicatur huiuscemodi:

τί σὺ λέγεις; ἀφροδισίων αὕτη θυσία 'ςίν.

Potius crediderim ab initio versus 194 periisse aliquam voculam, et deinde *ἡμεῖς* a correctore ex ingenio suppletum esse. E notissimo autem poetaeque nostro perfamiliari usu loquendi locum sic restituerim:

Cal. *ἀλλὰ πῶς ὀμούμεθα;*
Lys. *ὅπως; ἐγώ σοι νὴ Δί', ἢν βούλῃ, φράσω.*

Ibidem vs. 360 sq.:

εἰ νὴ Δί' ἤδη τὰς γνάθους τούτων τις ἢ δὶς ἢ τρὶς
ἔκοψεν ὥσπερ Βουπάλου, φωνὴν ἂν οὐκ ἂν εἶχεν.

Adscriptum est hoc scholium; *εἴ τις ἠπείλησε τύπτειν καθάπερ Ἱππῶναξ τὸν Βούπαλον.* Nequaquam intelligo quomodo, *εἴ τις ἔκοψε* potuerit explicari: *εἴ τις ἠπείλησε τύπτειν.* Voluit, opinor, Grammaticus: *εἴ τις ἐπεχείρησε τύπτειν καθάπερ Ἱππῶναξ ἠπείλησε τὸν Βούπαλον.* Hunc locum neglexit Bergkius in tertia Lyricorum editione, ubi omnia quae ad Hipponactem pertinerent collegit.

In eadem *Lysistrata* vs. 508 sqq. sic edidit Dindorfius:

ἡμεῖς τὸν μὲν πρότερον πόλεμον καὶ χρόνον ἠνεσχόμεθ' ὑμῶν
ὑπὸ σωφροσύνης τῆς ἡμετέρας τῶν ἀνδρῶν, ἅττ' ἐποιεῖτε·
οὐ γὰρ γρύζειν εἰᾶθ' ἡμᾶς κτἑ.

recepta Porsoni coniectura pro librorum lectione: *καὶ τὸν χρόνον ἠνεσχόμεθα,* vere tamen monens vocabula *καὶ τὸν χρόνον* interpolatoris videri versus defectum sarcientis. Abiecto igitur additamento, nescio an admittente metro, concedente sermone Graeco et tantum non flagitante loci sententia, reponendum sit:

ἡμεῖς τὸν μέν πρότερον πόλεμον σιγῇ γ' ἠνεσχόμεθ' ὑμῶν.

Ibidem vs. 938 sqq.:

Myrrh. *βούλει μυρίσω σε;* Cin. *μὰ τὸν Ἀπόλλω μὴ 'μέ γε.*
Myrrh. *νὴ τὴν Ἀφροδίτην, ἤν τε βούλῃ γ' ἤν τε μή.*
Cin. *εἴθ' ἐκχυθείη τὸ μύρον, ὦ Ζεῦ δεσπότα.*

Nihil misero marito erat profuturum, si oleum nunc effunderetur, sed si antea effusum fuisset, quare conieci:

εἴθ' ἐξεχύθη γε τὸ μύρον κτἑ.

De industria, ut logicus verborum ordo appareret ([1]), librarii transposue*runt* locum, qui est in eadem fabula vs. 984 sq.:

κᾶρυξ ἐγὼν, ὦ κυρσάνιε, ναὶ τὼ σιώ,
ἔμολον ἀπὸ Σπάρτας περὶ τᾶν διαλλαγᾶν.

Nam offensioni est articulus in re nunc primum memorata. Recte infra vs. 1101 roganti Atheniensi: *ἐπὶ τί πάρεσε δεῦρο;* Laco respondet: *περὶ διαλλαγᾶν πρέσβεις.* Similiter non dubito altero loco Aristophanem scripsisse:

ἔμολον ἀπὸ Σπάρτας διαλλαγᾶν πέρι.

Transposuere scribae:

ἔμολον ἀπὸ Σπάρτας περὶ διαλλαγᾶν.

Ruens metrum fulsit corrector inserto articulo.

Thesmophoriazusarum vs. 856 sqq.:

Νείλου μὲν αἵδε καλλιπάρθενοι ῥοαί,
ὃς ἀντὶ δίας ψακάδος Αἰγύπτου πέδον
λευκῆς νοτίζει μελανοσυρμαῖον λεών.

Mira appositio *λεὼν τοῦ πέδον*, neque Nilus *humectare populum* dici potest. Verum arbitror:

μελανοσυρμαίῳ λεῴ,

i. e. ***in gratiam, in commodum, populi nigra potione ad purgandum utentis.*** Ceterum recte ad h. l. monet Dindorfius analogiam postulare *μελανοσύρμαιος* pro *μελανοσυρμαῖος* ([2]).

([1]) Ex hoc construendi more nescio an explicandum sit vitium metricum in Iphig. A. 121:

εἰς ἄλλας ὥρας γὰρ δὴ
παιδὸς δαίσομεν ὑμεναίους,

ubi vide ne transponendum sit:

εἰς ἄλλας γὰρ δὴ παιδὸς
δαίσομεν ὥρας ὑμεναίους.

Impeditior structura causa esse potuit, cur *ἄλλας ὥρας* librarius copularet. Structuram longe difficiliorem reperies v. c. Troad. 103 sq., ubi videatur Burgesius. Ad metrum quod attinet veniam habet ob nomen proprium locus Troadum 176:

τάσδ' Ἀγαμέμνονος ἐπακουσομένα.

Ibid. 194 legerim:

τὰν πὰρ (pro *παρὰ*) *προθύροις κτέ.*

Cf. Trach. 636:

Μηλίδα πὰρ λίμναν.

([2]) Vs. 694 sq.:

πληγὶν μαχαίρᾳ τῇδε φοινίας φλέβας
καθαιματώσει βωμόν.

Tragicus horum verborum color elicuit mihi suspicionem esse haec verba Euripidis ex *Telepho*, quae si demonstrari posset, lepidissimam haec scena contineret parodiam illius dramatis Euripidei partis, ubi Telephus rapto puero Oresti mortem intentat.

Propter serioris aevi itacismum critico perinde esse, utrum in codice ει legatur an ῑ, ignorat hodie nemo. Quo magis miror Dindorfium in ed. Vta scenicorum, ubi in Scythae oratione (in extremis *Thesmophoriazusis*) permulta ex eruditorum coniecturis rectius constituit, intacta tamen huiusmodi quaedam reliquisse. Nempe ferendum non puto sagittarium modo ει per vocalem pronuntiare modo per diphthongum. Qui dixit *λαλῖς* et *κακκάσκις*, quidni eidem tribuamus *καιρήσις*, *γρύζις*, *πεύγις*, *ἐπιτυμῖς*? et si vs. 1085 recte legitur *σι* pro *τί*, cur idem reponere dubitemus vs. 1102?

In *Ranarum* vs. 929 quid sint *ῥήμαθ' ἱππόκρημνα* frustra quaero. Non enim satisfaciunt mihi interpretum commenta. Neque ea vox, quantum novimus, ab Aeschylo usurpata est, qui dixit *ἱπποβάμων* Prom. 805 et Suppl. 284, unde Aristophanes Ran. 821 sumsit *ῥήμαθ' ἱπποβάμονα*, quod ipsum comparandi causa a sedulo lectore versui 929 adscriptum genuino vocabulo exitiosum esse facile potuit. Nescio autem an genuinum sit *ὑψίκρημνα*, quo poeta tragicus non semel usus est. Potuit etiam formare *αἰπύκρημνα*, sed formaverit necne ignoramus.

Personarum vices melius distingui posse videntur in loco *Ranarum*, vss. 937 sqq., qui vulgo continuantur Euripidi sic scripti:

ἀλλ' ὡς παρέλαβον τὴν τέχνην παρὰ σοῦ τὸ πρῶτον εὐθὺς
οἰδοῦσαν ὑπὸ κομπασμάτων καὶ ῥημάτων ἐπαχθῶν,
ἴσχνανα μὲν πρώτιςον αὐτὴν καὶ τὸ βάρος ἀφεῖλον
ἐπυλλίοις καὶ περιπάτοις καὶ τευτλίοισι λευκοῖς,
χυλὸν διδοὺς ςωμυλμάτων, ἀπὸ βιβλίων ἀπηθῶν,
εἶτ' ἀνέτρεφον μονῳδίαις, Κηφισοφῶντα μιγνύς,
εἶτ' οὐκ ἐλήρουν ὅτι τύχοιμ' κτἑ.

Prorsus me iudice absurdum est, neque Euripidi personae congruum, ut, ubi artem suam defendat se ipsum ludos faciat, id quod alibi in hac fabula facit Bacchus. Quare fieri non potest, quin locus hoc modo sit constituendus:

Eurip. . . . .
ἀλλ' ὡς παρέλαβον τὴν τέχνην παρὰ σοῦ τὸ πρῶτον εὐθὺς
οἰδοῦσαν ὑπὸ κομπασμάτων καὶ ῥημάτων ἐπαχθῶν,
ἴσχνανα μὲν πρώτιςον αὐτὴν καὶ τὸ βάρος ἀφεῖλον
ἐπυλλίοις —

Bacchus. *καὶ περιπάτοις καὶ τευτλίοισι λευκοῖς,*
χυλὸν διδοὺς ςωμυλμάτων, ἀπὸ βιβλίων ἀπηθῶν.
Eurip. *εἶτ' ἀνέτρεφον μονῳδίαις —*
Bacchus. *Κηφισοφῶντα μιγνύς.*
Eurip. *εἶτ' οὐκ ἐλήρουν ὅτι τύχοιμ' οὐδ' ἐμπεσὼν ἔφυρον,*
ἀλλ' οὑξιὼν πρώτιςα μέν μοι τὸ γένος εἶπ' ἂν εὐθὺς
τοῦ δράματος —
Bacch. *κρεῖττον γάρ ἦν σοι νὴ Δί' ἢ τὸ σαυτοῦ.*

Ultimum versum, qui in libris scriptis et editis Aeschylo tribuitur, iam Fritschius unum Bacchum decere vere monuit.

Euripides artem, qualem ab Aeschylo accepisset, aegrotasse dicit laborantem inani fastu et verbis sesquipedalibus; quare se medici instar, eam primum tenui curasse diaeta, nempe levibus elegantibusque versiculis, deinde convalescentem, quo vires repararet, nutrivisse monodiis. Metaphoram arripit et scurrilibus iocis amplificans in risum Bacchus detorquet. Ita demum locum legentes agnoscimus admirabile comici Atheniensis ingenium!

Ibidem vs. 1254 sqq.:

ἀνδρὶ τῷ πολὺ πλεῖςα δὴ
καὶ κάλλιςα μέλη ποιή-
σαντι τῶν ἔτι νυνί.

Ita hodie editur e Bentleii coniectura pro mendosa codicum scriptura: *τῶν ἔτι νῦν ὄντων*, sed bene Meinekius intellexit postulari saltem *τῶν μέχρι νυνί*. Sic tamen omnis periit coniecturae *πειθανάγκη*. Propius certe ad codices possis: *τῶν συναπάντων*, ut, posteaquam *συναπάντων* in *νῦν ὄντων* abiisset, *ἔτι* a correctore metri gratia insertum esse suspicemur.

Concionantium vs. 2 Meinekius duce scholiasta partim e Ravennati libro sic edidit:

κάλλις' ἐν εὐςόχοισιν ἐξηυρημένον.

Recte, nisi quod simul corrigendum fuerat: *κάλλιςον κτέ.*, ut sit = ὃ *κάλλιςον ἐξηύρηται εὐςόχοισιν*, i. e. *pulcherrimum ingeniosorum hominum inventum*.

Unus saltem versus excidisse videtur in eiusdem fabulae dialogo vs. 86 sqq.:

νὴ τὸν Δί᾽ ὥςε δεῖ σε καταλαβεῖν ἕδρας
ὑπὸ τῷ λίθῳ τῶν πρυτάνεων καταντικρύ.
Β. ταυτί γέ τοι νὴ τὸν Δί᾽ ἐφερόμην ἵνα
πληρουμένης ξαίνοιμι τῆς ἐκκλησίας.

Nam vehemens illa assertio: γέ τοι νὴ τὸν Δία indicat, nisi fallor, periisse qnaestionem Praxagorae cum indignatione rogantis mulierculam, quo tandem consilio lanam secum attulerit. Vide v. c. Plat. Euthyphr. init.

Ibidem vs. 202 miror Dindorfium egregiam Meinekii emendationem ὡράζεται, i. e. *delicias facit* pro ὁρίζεται sprevisse prae inani Bothii hariolatione οὐ ῥύσεται, quod neque scholiastae lectum fuisse testatur eius ad h. l. adnotatio, neque scribere potuit extra parodiam comicus, siquidem ῥύσασθαι epici et tragici est sermonis.

Ibidem vs. 525. Hunc locum cum aliis Aristophaneis non ita paucis immerito vexavit Madvigius tentans: οὐ γὰρ πρὸς ὑγιὲς — ἐξελήλυθεν λαθοῦσ᾽, quum rectissime legatur:

οὐ γάρ ποθ᾽ ὑγιὲς οὐδὲν ἐξελήλυθεν
δράσουσ᾽.

Obtinet enim h. l. loquendi usus omnibus paene linguis communis, ut in vehementi negatione subinde *numquam* dicatur pro *neutiquam*. Sic enim noto loco Vergilius:

numquam omnes hodie moriemur inulti.

Neque aliter Euripides Troad. 761:

ὦ Τυνδάρειον ἔρνος, οὔποτ᾽ εἶ Διός,
πολλῶν δὲ πατέρων φημι σ᾽ ἐκπεφυκέναι.

Ibidem vs. 583 sq. sic vulgo scribuntur:

εἰ καινοτομεῖν ἐθελήσουσιν καὶ μὴ τοῖς ἤθασι λίαν
τοῖς ἀρχαίοις ἐνδιατρίβειν.

Sed perspicue scriptum legi in codice Ravennati, quod nequaquam spernendum arbitror:

τοῖς ἤθασι λίαν
τοῖς τ᾽ ἀρχαίοις ἐνδιατρίβειν.

Ibidem vs. 663 φρασάτω. Hic locus, ni fallor, antiquissimum praebet exemplum tertiae personae Imperativi usurpatae pro secunda. In comoedia

Attica alia reperiuntur in DAMOXENI *Συντρόφοις* apud Athen. III p. 101 F vs. 39 et 50, et in NICOSTRATI loco apud Athen. XV p. 693 A. Usus explicandus e locis qualis est *Concionantium* vs. 742 sq.

Ibidem vs. 848 nollem Dindorfius quam olim fecit coniecturam, scripsisse Aristophanem *Γέρης δὲ χωρεῖ,* non, quod est in libris, *Γέρων*, ideo nunc repudiasset, quod *Γέρων* nomen proprium fuisse appareat ex Inscriptione apud Böckhium C. I. I p. 490. Nam, si Aristophani illud nomen innotuisset, vel potius, si illa aetate Athenis vixisset homo non nimis obscurus nomine *Γέρων,* vix potest dubitari, quin vs. 937 abstinuisset a nomine *Γέρης,* utpote minus altero ad iocandum idoneo.

Ibidem vs. 841:

κρατῆρας ἐγκιρνᾶσιν, αἱ μυροπώλιδες
ἑξᾶσ' ἐφεξῆς, τὰ τεμάχη ῥιπίζεται,
λαγῷ' ἀναπηγνύασι, πόπανα πέττεται.

Duro stomacho mihi esse videtur, qui concoquere possit verbum *ῥιπίζειν*, usurpatum pro *ὀπτᾶν*. Locus videtur hiulcus, sic constituendus:

*τὰ τεμάχη * **
** * * (τὸ πῦρ) ῥιπίζεται,*
λαγῷ' ἀναπηγνύασι κτέ.

PLUTI vs. 537 sq.:

φθειρῶν τ' ἀριθμὸν καὶ κωνώπων καὶ ψυλλῶν οὐδὲ λέγω σοι
ὑπὸ τοῦ πλήθους, αἳ βομβοῦσαι περὶ τὴν κεφαλὴν ἀνιῶσιν.

Absurdus verborum ordo. Quis enim umquam vidit aut audivit *pulices susurrantes?* Satis certum videtur transponendum esse:

φθειρῶν τ' ἀριθμὸν καὶ ψυλλῶν καὶ κωνώπων οὐδὲ λέγω σοι κτέ.

Ibidem vs. 756:

ὀφρῦς συνῆγον ἐσκυθρώπαζόν θ' ἅμα.

Ἅμα non esse huius loci intellegens Meinekius suspicatus est post *ἅμα* excidisse integrum versiculum huiuscemodi:

σῖγ' εἰς ἑαυτῶν ὑπαποκινοῦντες θάμα,

in quali versu quid *θάμα* sibi velit neque ipse declaravit neque ego assequor.

Mihi venit in mentem:

ὀφρῦς συνῆγον ἐσκυθρώπαζόν τ' ἄγαν,

uti *ἄγαν* dictum sit pro *σφόδρα,* ut non raro apud tragicos (v. c. Aesch. Sept. 813); quem usum ne a comoedia quidem prorsus abhorrere apparet ex Equitum loco vs. 595. Ceterum et metrum huius ac vicinorum versuum prodit fere sublimiorem orationem, et omissus articulus in *ὀφρῦς συνῆγον* (cf. Nub. 582) indicare videtur paratragoediam. Cf. vs. 759 sq.

Ibidem vs. 914:

τὸ μὲν οὖν βοηθεῖν τοῖς νόμοις τοῖς κειμένοις,
καὶ μὴ 'πιτρέπειν, ἐάν τις ἐξαμαρτάνῃ.
Chrem. *οὔκουν δικαστὰς ἐξεπίτηδες ἡ πόλις*
ἄρχειν καθίστησιν;
Sycoph. *κατηγορεῖ δὲ τίς;*

Nihil huic loco profuit Dobrei coniectura *ἀρχήν,* quam ab ipso dubitanter propositam probavit Meinekius. Nam si Thuc. I. 96 Hellenotamiae et Xenoph. Vectig. II § 17 *μετοικοφύλακες* (ad hos enim locos provocavit, de quorum vera scriptura nunc non disputo) recte *ἀρχή* dicuntur, quid quaeso hoc ad iudices, qui numquam *ἄρχειν* aut *ἀρχή* a Graecis dicti sunt, nisi forte ea vi, qua loquitur Philocleo in *Vespis* vs. 584 sq.? Necessario autem praeter iudices h. l. memorandi erant iudiciorum praesides et causarum quaesitores. Utroque vero munere fungebantur Athenis magistratus, *ἄρχοντες* dicti sive *ἀρχαί,* unde liquet locum sic esse refingendum:

Chrem. *οὔκουν δικαστὰς ἐξεπίτηδες ἡ πόλις*
κἀρχὰς καθίστησιν;
Syc. *κατηγορεῖ δὲ τίς;*
Chr. *ὁ βουλόμενος.*
Syc. *οὐκοῦν ἐκεῖνός εἰμ' ἐγώ.*

Ibidem vs. 1041:

ςεφάνους γέ τοι καὶ δᾷδ' ἔχων πορεύεται.

Male creditur ita legi in optimis codicibus. Tam enim in Veneto secundum Cobetum quam in Ravennati e collatione mea scriptum exstat *ςέφανον*, quod igitur poetae reddatur. Sed *δαΐδας* pro *δᾷδ'* e Ravennati recte enotatum est.

Procul dubio reiicienda est quam in *Vindiciis Aristophaneis* Meinekius proposuit interpretationem loci in *Pluto*, qui legitur vs. 1126:

οἴμοι πλακοῦντος τοῦν τετράδι πεπεμμένου.

Participium enim non, ut vulgo fiebat, a *πέττειν*, sed a *πέμπειν* derivandum putat, quia nocte praecedenti hae placentae pinsi solerent. Satis autem virum praeclarum redarguit qui in vicinia legitur versus 1142:

ἧκεν γὰρ ἄν σοι ναςὸς εὖ πεπεμμενος.

(Cf. 1136), ubi de participii significatione nulla potest esse controversia.

Nec locus Menandri apud Athen. IV p. 172 C., quem in assertionis suae fidem attulit, id probat, quod eo voluit probari, placentas nocte parari diem festum praegressa; immo ipsum contrarium. Verba haec sunt:

Τί τοῦτο, παῖ; διακονικῶς γὰρ νὴ Δία
προσελήλυθας. Β. ναί· πλάττομεν γὰρ πλάσματα·
τήν νύκτα τ' ἠγρυπνήκαμεν· καὶ νῦν ἔτι
ἀποίητα πάμπολλ' ἐςὶν ἡμῶν.

Festinanter Meinekius locum inspexerit necesse est. Nam, ut demus verisimiliter pro *πλάσματα* ab eo correctum esse *πέμματα*, e verbis *τήν — ἠγρυπνήκαμεν* cett. liquido constat, dici haec *interdiu*; et *etiamtum*, si loquenti fides, placentae fiebant. Insuper ibi *de coena nuptiali* apparanda sermonem esse olim bene intellexerat idem Meinekius in *fr. com. Gr.* IV p. 103. Sed viro ingenioso et industrio, qui ad extremam usque senectutem de his literis optime meruit, hunc aliosque errores, a quibus nemo mortalium immunis est, facile condonamus.

CAPUT V.

AD RELIQUOS COMICOS.

Interpretis indigere videtur Cratini versus e *Seriphiis* apud Photium i. v. *ϛαθερός* (Mein. F. C. II p. 5):

οὕτω ϛαθερῶς τοῖς λωποδύταις ὁ πόρος πεινῶσι παφλάζει.

Meinekius sermonem esse putat *de freto* a *praedonibus* vehementer infestato, quae sententia satis, ut opinor, refutatur usu vocabuli *λωποδύταις*, i. e. *grassatoribus nocturnis*, qui vestibus spoliabant viatores. Numquam enim id maleficorum genus infestabat freta, quod erat *piratarum*, *τῶν ληϛῶν*, sed *vias terrestres*. Itaque, nisi forte *ὁ Πόρος*, quem demum fuisse ex Acamanthide tribu docet Harpocratio s. v. *Πόριος*, intellegendus, illa vi *ὁ πόρος* erit accipiendus. Qui vocabuli usus a poetico sermonis colore nequaquam abhorret. Cf. quae supra p. 55 sq. de anapaestorum tetrametrorum sermonis licentia disputavimus.

Sententia igitur haec esse videtur: *adeo vehementer grassatoribus famelicis via aestuat*. *Παφλάζειν* cum Dativo h. l. poetice dictum videtur pro *scatere* sive *refertum esse*, licet aliud huius usus exemplum desiderem.

In Cratini *Δηλιάδων* fragmento apud Athen. IX p. 396 B. (F. C. II p. 35): *τῷ δ' ὑποτρίψας τι μέρος πνῖξον καθαρύλλως*, si nihil excidit, hi numeri distinguendi:

´– υ υ — | ´– υ υ —
— | ´– υ υ — | —

Attamen, quia nusquam in comoedia hanc metrorum copulationem repperi, ut Glyconeus excipiat meros choriambos, neque loci argumentum videatur eiusmodi, ut e melicis desumtus esse videatur, fortasse statuendum est aliquid excidisse et anapaestorum tetrametrorum esse reliquias, sic distinguendas:

τῷ δ' ὑποτρίψας τι μέρος υ υ — υ υ — πνῖξον καθαρύλλως.

Mendosum videtur eiusdem fragmentum quod apud Athenaeum servatur XI p. 782 (F. C. II p. 179), sic scriptum:

πιεῖν δὲ θάνατος οἶνος, ἢν ὕδωρ ἐπῇ,
ἀλλ' ἴσον ἴσῳ μάλις' ἀκράτου δύο χόας
*πίνουσ' ἀπ' ἀγκύλης ἐπονομάζουσα **
ἵησι λαταγὰς τῷ Κορινθίῳ πέει.

Certe non video qua ratione verba *ἢν ὕδωρ ἐπῇ* opponantur sequentibus *ἀλλ' ἴσον ἴσῳ κτέ.* Conieci:

Πιεῖν δὲ θάνατος οἶνος, ἢν ὑδαρής τις ᾖ,
ἀλλ' ἴσον ἴσῳ μάλις' κτέ.

Cf. Pherecrat. F. C. II 282, Alexid. III 488, Ephipp. III 329, Antiph. III 11. In altero versu ne quis forte haereat, videat Sophilum III 581 et Philetaerum III 298.

Teleclidis locum ap. Schol. Thesm. 168:

'Αλλ' ἡ τάλαινα Φιλοκλέα βδελύττομαι,
εἰ δ' ἐςιν Αἰσχύλου φρόνημ' ἔχων,

duce scholiaste, qui hominem vocat *μικρὸν καὶ αἰσχρόν*, ita correxerim et expleverim, ut legatur: *ὅτι (αἰσχρός) ἐςιν Αἰσχύλου φρόνημ' ἔχων,* aut si mavis: *ὅτι ἐςὶν (αἰσχρὸς) Αἰσχύλου κτέ.* Cur *αἰσχρός* exciderit, obscurum non esse puto.

Eupolis apud Ammonium de differ. verb. p. 153: *Σχιςαί· τὰ ὑποδήματα Εὔπολις Φίλοις. Οὐ δεινὰ ταῦτα δ' ἐςὶν* (pro *δὲ* cum Mein.) *'Αργείας φέρειν σχιςὰς ἐνεργεῖν.*

Assumta lectione *ἐνεγκεῖν*, quam apud Ascal. § 120 reperiri adnotavit Valckenaerius, simul corrigam *φορεῖν*, et legam:

Οὐ δεινὰ ταῦτα δ' ἐςὶν 'Αργείας φορεῖν
σχιςὰς ἐνεγκεῖν;

hac sententia: ***nonne vero hoc indignum est, portasse (te** vel **eum mihi** vel **ei) schistas Argivas gestandas?*** Ita omnia, credo, expedita sunt. Ceterum vide Meinekium F. C. II p. 532.

Egregium Eupolidis locum e fabulae alicuius parabasi petitum servavit Stobaeus in Florilegio IV 32, qui locus sic scribitur (cf. Mein. F. C. II p. 546):

'Αλλ' ἀκούετ', ὦ θεαταί, τἀμὰ καὶ ξυνίετε
ῥήματ'· εὐθὺ γὰρ πρὸς ὑμᾶς πρῶτον ἀπολογήσομαι,
ὅτι παθόντες τοὺς ξένους μὲν λέγετε ποιητὰς σοφούς,
ἢν δέ τις τῶν ἐνθάδ' αὐτοῦ μηδὲ ἓν χεῖρον φρονῶν

ἐπιτίθηται τῇ ποιήσει, πάνυ δοκεῖ κακῶς φρονεῖν,
μαίνεταί τε καὶ παραρρεῖ τῶν φρενῶν τῷ σῷ (?) *λόγῳ.*
ἀλλ' ἐμοὶ πιθέσθε πάντες· μεταβαλόντες τοὺς τρόπους
μὴ φθονεῖθ', ὅταν τις ἡμῶν μουσικῇ χαίρῃ νέων.

Ultimo vocabulo vexatur et grammatica Graeca et loci sententia. Nam Graecitas procul dubio postularet *ἡμῶν — τῶν νέων*, sententia vero, quoniam est oppositio inter *cives* et *peregrinos*, non seniores inter et iuniores, istud *νέων* sine controversia respuit.

Corrigendum arbitror:

μὴ φθονεῖθ', ὅταν τις ἡμῶν (i. e. *τῶν ἐνθάδ' αὐτοῦ*)
μουσικῇ χαίρῃ νέος.

i. e. *si quis e nostro* (civium) *numero iuvenis delectatur poesi*, quemadmodum ipse iuvenis illo tempore (quo fabula, cuius parabasis hunc locum continebat, docta est) Eupolis loqui sane poterat. Librarii *νέος* ad praegressum *ἡμῶν* accommodasse videntur.

Male legitur eiusdem poetae nomen apud Pollucem VII 168 (F. C. II 480): *τῶν δ' ἔτι νεωτέρων τις* (modo laudaverat Anaxilam, mediae comoediae poetam) *Εὔπολις καὶ τὴν πύελον τὴν ἐν τῷ βαλανείῳ μάκτραν ὠνόμασεν, ὡς οἱ νῦν. λέγει γοῦν ἐν Διαιτῶντι·*

εἰς βαλανεῖον
εἰσελθὼν μὴ ζηλοτυπήσῃς τὸν συμβαίνοντά σοι
εἰς τὴν μάκτραν.

Vide quae de hoc loco disputavit Meinekius in *Historia Critica* p. 130; quibus haec pauca addiderim. Si vera est haec quam ex omnibus praeter unum Pollucis codicibus editores repraesentarunt lectionem, nec cum solo libro Iungermannensi, omissis verbis *τῶν δ' ἔτι νεωτέρων τις*, scribendum est *Εὔπολις δὲ κτέ.* (at neque unde illud additamentum nasci potuerit facile dictu est, neque quicquam ea opinione lucraremur, quoniam nullam Eupolis scripsit *Διαιτῶντα*, neque aliam fabulam, cuius titulus facile ita corrumpi potuerit), si igitur verba illa genuina sunt, dubium non est quin Eupolidis nomen cum alio nomine sit confusum. Veri autem nominis indagandi difficultatem non mediocriter auget fabulae titulus depravatus et ipse. Certe neminem umquam comicorum *Διαιτῶντα* scripsisse accepimus. Itaque si *in re prorsus*

desperata hariolari licet, dicam latere *posse* nomen et fabulam inferioris aetatis comici Apollodori *Geloi*, cuius *Pseudaiacem* idem Pollux memorat X 128. Ita scribi possit: τῶν δ' ἔτι νεωτέρων τις Ἀπολλόδωρος — λέγει γοῦν ἐν Ψευδαίαντι.

De *Eupolide* cum *Apollonio* confuso vide quae scripsi in *Analectis Criticis* p. 27 sq.

De restituendo metro cum Meinekio despero et ipse. Possis quidem:

— εἰσελθὼν εἰς βαλανεῖον
μὴ ζηλοτυπήσῃς τὴν αὐτὴν εἰς μάκτραν σοι καταβάντα.

sed non sine gravi a tradita scriptura discrepantia. Et mirum sane praeceptum, quod tamen fortasse melius intellegeremus, si plura afferre placuisset Polluci aut huius auctori.

Apud Ath. XIV p. 657 A leguntur haec verba depravatissima: Εὔπολις Χρυσῷ γένει· οὐκ ἀλλεύθιον δέλφακα ωδονθ ηςια καὶ μάλα καλήν.

Quae feliciter sic restituit Meinekius (II p. 541):

οὐκ, ἀλλ' ἔθυον δέλφακ' ᾠδὸν θῆςίᾳ
καὶ μάλα καλήν.

nisi quod ᾠδόν, quam lectionem ipse dubiam vocat, ferri omnino nequit. Non exputo, quid aliud latere possit nisi hoc:

οὐκ, ἀλλ' ἔθυον δέλφακ' ἄτοκον κτέ.

Mendosum h. l. verbum θύειν me admonet depravatissimi loci Dionis Chrysosthomi Orat. XXXIV § 47 (ed. Emper.), qui tamen semel intellectus certa emendatione potest restitui. Alibi fortasse de eo loco enucleatius expositurus nunc festinans ad alia dicam simpliciter quomodo sit redintegrandus. Scribo: ὃ μεῖζόν ἐςι τοῦ θύειν (codd. τοῦ εἶναι) παρ' ὑμῖν καὶ δικάζεσθαι Μαλλόν· ταῦτα μὲν γὰρ οὐδ' ἥντινοῦν ἔχει ὠφέλειαν, ἐπὶ (δίκας) ἐλθεῖν (καὶ) θυσίαν δεῦρο ἢ τοὺς Ἀδρανεῖς ἢ τοὺς Αἰγαίους.

In codicum scriptura *TOYЄINAI* duae ultimae literae sunt correctoris, non intellegentis in corrupta scriptura *TOYЄIN* delitescere *TOYΘYЄIN*, i. e. τοῦ

θύειν, quod locus requirebat. Hoc igitur reperto, sponte sequebatur reliqua emendatio. Sed redeamus ad comoediam, et videamus an prodesse possimus **Strattidi** graviter laboranti apud Pollucem IX 78, qui sic scribit:

Βυζαντίων γε μὴν σιδήρῳ νομιζόντων ἦν οὕτω καλούμενος σιδάρεος νόμισμά τι λεπτόν, ὥςε ἀντὶ τοῦ „πρίω μοι τριῶν χαλκῶν" λέγειν „πρίω μοι τριῶν σιδαρέων" ὅθεν καὶ ἐν Στράττιδος Μυρμιδόσιν εἴρηται

ἐν τοῖς βαλανείοις προκέλευθος ἡμέρα
ἀπαξάπασα γῆς ςρατιαὶ σιδαρέων.

Loci penitus corrupti Hemsterhusius hanc sententiam esse putavit: ita balneis deditos fuisse Byzantinos, ut in istis populi celebrarentur Comitia (!), in istis totus simul esset civitatis populus (!!), in istis de expeditionibus consuleretur (!!) et in istis denique mercatura exerceretur (!!).

Operae pretium est videre, quantopere interdum homines vel doctissimi et ingeniosissimi caecutiant et insaniant. Nec summi viri ista commenta et alucinationes fucum fecisse videntur Meinekio breviter addenti: *Videant alii!* Videor autem mihi excogitasse tam loci sententiam quam ipsa verba, quibus Strattis usus est. Neque res est ita difficilis quam primo obtutu videtur. Nam, neglecto vocabulo procul dubio mendoso *προκέλευθος*, quod Hemsterhusius explicabat scilicet *τὴν προκηρυττομένην εἰς τὸ ἐκκλησιάζειν* (*ἡμέραν*), e reliquo loco abunde liquet sermonem esse *de militibus Byzantii omnem diem parvo pretio in balneis consumentibus.* Qua re semel intellecta, primum videbis vs. altero *ΓΗΣΣΤΡΑΤΙΑΙ* leviter depravatum esse ex *ΤΗΣΤΡΑΤΙΑΙ*, i. e. *τῇ ςρατιᾷ*, deinde in *προκέλευθος* delitescere verbum aliquod in genere passivo, cui subjectum sit *ἡμέρα ἀπαξάπασα* et coniunctus sit Dativus instrumentalis *τῇ ςρατιᾷ*, tandem ignoti huius verbi notionem non aliam esse posse quam *consumendi* s. *perdendi.*

Ipsum verbum quaerenti commode subvenit Strattidis poeta aequalis **Aristophanes** scribens in *Nubibus* vs. 838 sqq.:

ὧν ὑπὸ τῆς φειδωλίας
ἀπεκείρατ' οὐδεὶς πώποτ' οὐδ' ἠλείψατο,
οὐδ' εἰς βαλανεῖον ἦλθε λουσόμενος· σὺ δὲ
ὥσπερ τεθνεῶτος καταλόει μου τὸν βίον.

Cf. Scholiasta.

Cuius loci ope Strattidis verba sic leniter refingo:

ἐν τοῖσι βαλανείοις προκατελοῦθ' ἡμέρα
ἀπαξάπασα τῇ ϛρατιᾷ σιδαρέων.

Narrat nescio quis exercitum (Atheniensium, ut suspicor) Byzantii degentem ante nescio quam diem omne tempus in balneis consumpsisse. Addere potuit poeta Genetivum pretii *σιδαρέων*, vel ut monetam ferream Byzantinis peculiarem memoraret (cf. Ar. Nub. 248), vel ut exiguo lavandi pretio narrationis fidem augeret.

Inquirenti autem, quaenam significetur a Strattide occasio, qua milites Athenienses Byzantii essent, sciendum est hunc poetam fabulas docere coepisse fere inde ab Olympiade XCII, qua de re consulatur Meinekius in Historia Critica p. 221. Itaque haec verba spectare possunt Byzantium post irritam obsidionem proditione captam ab Alcibiade Ol. XCIII a. 1, qua de re vide Xenophontem in Hellenicis I. 3 § 14—22 (Cf. ib. 4 § 8) potueruntque haec dici de huius exercitu post captam urbem, laxata ut par est disciplina militari, deliciis pulcherrimae civitatis indulgenti, a quibus dux ipse quam non alienus fuerit, in vulgus constat. Praepositio *προ* in *προκατελοῦτο* spectare potest tempus, quo Byzantium non diu post recepta est a Lacedaemoniis. Cf. Xen. Hell. II 2 § 1.

Ceterum temporum rationes non prohibent (cf. Mein. l. l.), ut cogitetur de Thrasybuli expeditione Ol. XCVII a. 3 suscepta. Vide Xenoph. Hell. II 2 § 1. Illam tamen opinionem sequi malim. E paucis autem Strattidis fabularum titulis et fragmentis nihil peti posse quod ad hanc quaestionem pertineat, nemo mirabitur.

Si vero quis secum reputaverit praepositionem *κατά* in unciali scriptura saepissime scribi *Κ*, videbit quam proclivi errore *ΠΡΟΚΕΛΟΥΘΗΜΕΡΑ* in *ΠΡΟΚΕΛΕΥΘΗΜΕΡΑ* abire potuerit. Accedit hoc quoque, quod *προκέλευθος* vocabulum in sequiorum scriptis non raro inventum librariis erat aliquanto familiarius quam rarissimum verbum Atticum, quod Strattidi restituendum esse suspicamur.

Hesychius *κολέκανοι· τοῦτο ἐπὶ μήκους σὺν λεπτότητι ἐτάσσετο. Στράττις ἐν τῷ* (an *ἔν τῳ?*) *φορτικῷ δραματίῳ· τοὺς τί οὐκ ἄξει τις ἔξω τὴν ἀποῦσαν μητέρα τῶν διδύμων κολέκαν λέγων.* Alio loco idem: *κολοκάνοι: εὐμήκεις καὶ λεπτοί.* Collato loco Pollucis X 189 Meinekius (II p. 789) haud improbabiliter coniecit *κολοκαννάβων*, quo adscito, licebit locum pro parte saltem emendare scribendo:

ποῦ 'στιν; οὐκ ἄξει τις ἔξω
τὴν ἀποῦσαν μητέρα
τῶν διδύμων κολοκαννάβων;

quorum versuum duo priores sunt dimetri trochaici, acatalectus alter, alter catalecticus, tertius dactylo-trochaicus catalecticus. Sed praeterea suspectum est *ἀποῦσαν*, in quo vocabulo tamen corrigendo mihi non satisfacio. In mentem venit: *τήνδ' ἄτ' οὖσαν μητέρα* Sed de his quidem videant alii.

Misere depravata sunt Alcaei, antiquae comoediae poetae, e *Comoedotragoedia* verba apud Macrobium Sat. V 20 haec:

ἐτύγχανον μὲν ἄγροθεν πλείστους φέρων
εἰς τὴν ἑορτὴν ὅσον οἷον εἴκοσιν,
ὁρῶ δ' ἄνωθεν γάργαρ' ἀνθρώπων κύκλῳ.

Traditae lectionis vestigiis presse insistens corrigo:

ἐτύγχανον μεν ἄγροθεν (ὡς) πλεῖστον φέρων
εἰς τὴν ἑορτὴν ὄψον, οἷον εἰκὸς ἦν,
ὁρῶ δ' ἄνωθεν γάργαρ' ἀνθρώπων κύκλῳ.

Rustici verba esse vides.

Antiphanes apud Stobaeum Flor. 11 b, 26:

οὐδεὶς τὰ πατρῷά πω γέρων κατεδήδοκεν,
ἀλλ' οὐδὲ κατεμώρανεν οὐδ' ἐλύσατο
πορνίδιον, οὐδὲ θυροκοπῶν ὦφλεν δίκην.

Post horum, quibus senectus vacat, malorum mentionem iure mireris subito versu subsequenti senectutem *infortunatam* vocari. Scribitur enim sic versus quartus:

οὕτω τὸ γῆρας σωφρονοῦν οὐκ εὐτυχεῖ.

Sed salva res est, modo a fine versiculi ponatur signum interrogandi: *nonne fortunata est?* Cf. Theophili fr. apud Athen. XIII p. 563 a. — Apud Meinekium est Inc. fab. fr. 71 (III p. 156).

Eiusdem ex *'Ακεστρίας* fragmentum apud Athenaeum IX p. 402 D (F. C. III p. 9) ita scribitur:

Κρέα δὲ τίνος ἥδιστ' ἂν ἐσθίοις; Β τίνος;
εἰς εὐτέλειαν τῶν προβάτων μὲν οἷς ἐνί
μήτ' ἔρια μήτε τυρός. Α. ἀρνὸς, φίλτατε.

At permire *lana* et *caseus ovibus* dicuntur *inesse.* De lana recte haberet ἔπι, quod tamen aspernatur sequens τυρός. Verum videtur: οἷς ἂν ᾖ.

Perinepte nescio quis in eiusdem poetae Ἀφροδισίῳ (Athen. X p. 449 B Cf. Mein. F. C. III p. 26 sq.), loquens αἰνιγματωδῶς, vs. 12 vinum vocat Βρομιάδος (δ') ἱδρῶτα πηγῆς. Nam recte tantum de iis quae sudoris instar *stillatim* profluunt, ἱδρώς figurate usurpari videtur. Suspiceris: Βρομιάδος δ' ἰχῶρα πηγῆς, quod quia dicebatur de *sanguine divino*, non potest quicquam cogitari magis idoneum. Ceterum cf. Arist. Lys. 205 et Thesm. 755.

Eidem Antiphani apud Athen. III p. 127 b vs. 4 sq., ne duplex lacuna pro simplici cum Meinekio (F. C. III p. 18) statuenda sit, reddiderim:

τῆς Φοινικ(ικ)ῆς
σεμίδαλις κτέ.

pro τῆς Φοινίκης, repetita syllaba.

Pollux X 103: καὶ ἴγδιν δὲ αὐτὴν (τὴν θυείαν) κεκλήκασι Σόλων τε ἐν τοῖς ἰάμβοις — καὶ ἔτι σαφέστερον Ἀντιφάνης Κοροπλάθῳ·

Γύναι, πρὸς αὐλὸν ἦλθες. ὀρχήσει πάλιν
τὴν ἴγδιν, τὴν θυείαν ἀγνοεῖς;

ἐστι μὲν οὖν ἴγδις καὶ ὀρχήσεως σχῆμα· ὁ δὲ παίζων πρὸς τοὔνομα κωμικὸς (κωμικῶς?) ἐπήγαγε τὴν θυείαν ἀγνοεῖς τουτέστιν ἡ ἴγδις. Conferatur praeter locos citatos a Meinekio (III 70) ipse Pollux IV § 101. In restituendo loco Antiphanis dissentio a Meinekio, qui quam proposuerat in editione maiore coniecturam recepit in minorem hance:

γύναι, πρὸς αὐλὸν ἦλθες. Ὀρχήσει πάλιν
ἴγδιν. B. τίν' ἴγδιν; A. τὴν θυείαν ἀγνοεῖς;
τοῦτ' ἐστιν ἴγδις.

Valde enim mihi displicet omissus articulus, qui, ubi saltationis aliquod genus est obiectum verbi *saltandi,* addi a Graecis soleat. Dicunt ἕλκειν τὸν κόρδακα, ὀρχεῖσθαι τὴν πυρρίχην, τὸν ὅρμον, τὸν γέρανον, τὴν Νιόβην, τὸν Κύκλωπα, et sic in ceteris constanter. Melius igitur simul et lenius, repetito vocabulo ἴγδιν, corrigetur:

ὀρχήσει πάλιν
τὴν ἴγδιν. B ἴγδιν; A τὴν θυείαν ἀγνοεῖς;

Idemne recte Antiphani, non ipsi Polluci (aut magistello alicui) tribuat verba sequentia τοῦτ' ἐστι ἡ ἴγδις licet dubitare. Nam cum supervacua vi-

dentur post illa *τὴν θυσίαν ἀγνοεῖς*, tum non solet Pollux e scriptoribus plura afferre quam quae ad propositum suum sunt prorsus necessaria.

Fortasse eodem simplicissimo remedio uti licet in interpolato Eubuli e *Pamphilo* fragmento apud Athen. XI p. 473 E:

ὁ δὲ κάνθαρος πάλαι [δὴ κενὸς ὢν] ξηραίνεται,

quod turpi emblemate liberavit olim Cobeti sollertia. Quo deleto, vide an rescribendum sit:

ὁ δὲ κάνθαρος πάλαι πάλαι ξηραίνεται.

Eustathius 437, 36: *ἐν παραθέσει δὲ τὸ πολὺ πολὺ καὶ πάλαι πάλαι παρὰ τῷ κωμικῷ*. Cf. Arist. Av. 921. Eq. 1155, 1157. Sed redeamus ad Antiphanem cuius unus mihi restat locus interpretandus atque emendandus ex *Tyrrheno*, qui sic scribitur apud Athenaeum VII p. 329 E (cf. F. C. III p. 123) *δήμου δ' Ἁλαιεύς ἐϛιν. B ἓν γὰρ τοῦτό μοι τὸ λοιπόν ἐϛι, καὶ κακῶς ἀκούσομαι. A. τί δῆτα τοῦτο; B θρᾷτταν ἢ ψῆττάν τιν' ἢ μύραιναν ἤ κακόν τι μοι δώσει μέγα θαλάττιον.*

Locutio *κακὸν διδόναι τινί* significat *mactare aliquem infortunio*, quod quomodo cohaereat cum praegresso *κακῶς ἀκούσομαι* difficile dictu est. Neque hunc locum expedivit Meinekius scribendo, videri poetam mulierculam induxisse *pisces vehementer aversatam*; et Halaeensi civi, apud quos multam piscium capturam fuisse constet, invito animo nubentem. Non reputavit secum vir eximius *muraenam*, piscem voracissimam, poni a Graecis in convicio. In Aesch. Cho. 993 Orestes de Clytaemnestra:

Τί σοι δοκεῖ, μύραινά γ' εἴτ' ἔχιδν' ἔφυ,
σήπειν θιγοῦσα μᾶλλον ἂν δεδηγμένον
τόλμης ἕκατι κἀδίκου φρονήματος.

ut probabiliter locum nuper emendavit Madvigius. Cf. Arist. Ran. 477. De *ψῆττα* idem novimus ex eiusdem Lysistratae vs. 115, collato Platonis comici loco apud Schol. Nub. 108; de *θρᾷττα* an aliunde eiusmodi quid sciri possit ignoro, sed planissime constare mihi videtur ex hoc ipso quem tractamus loco. Universe magnae sunt apud Athenienses in convitiando piscium partes. Homo *clamosus βόαξ* dicitur a Pherecrate ap. Etym. M. p. 218 et a Platone in Europae fr. II; nomina meretricum sunt *ἀφύη* (cf. F. C. II p. 721 et III p. 15) et *τρίγλη* (III p. 12); *γόγγρῳ* comparatur Sinope (ibid.); *Τάριχοι* passim audiunt *fatui* et *insulsi*, similique sensu est ubi dicatur

σαπερδής et *σκόμβρος; Πουλύποδες astuti* haud raro vocantur. Alia addere possum: verum haec suffecerint ad locum, de quo agimus, illustrandum.

Nihil ergo certius esse potest quam eandem mulierem, quae modo dixerat se male audituram a viro, cui desponsa esset, interrogatam, qua mente id dixisset, respondere se ab illo, quippe Halaeensi, identidem cognomento aliquo ex eo genere, quae supra memoravi, laceratum iri.

Hinc dubium non esse reor, quin sub vocabulis *μοι δώσει* delitescat verbum aliquod *nominandi*. Hoc unum paullo incertius, utrum Antiphanes scriptum reliquerit:

θρᾶτταν ἢ ψῆττάν τιν' ἢ
μύραιναν ἤ κακόν τί μοι θήσει μέγα
θαλάττιον

an *μ' ὀνομάσει.*

Ad priorem rationem (quam praefero ut leniorem) quod attinet, multo quidem frequentius dicitur *τίθεσθαί τινι ὄνομα*, a qua formula, ubi ipsum nomen, cuius vicem explet h. l. *κακόν*, additur, *ὄνομα* abesse solet; verbum tamen Activum eadem vi usurpatum non abhorrere a Graecorum consuetudine probant loci Platonis in Cratylo p. 385 C, 416 B, 438 C, alii.

Insuper in fragmenti initio corrigendum esse:

(*τῶν*)
δήμων δ' Ἁλαιεύς ἐςιν κτἑ.

iam docui in *dissertatione Academica.*

In longo Anaxandridis fragmento e *Protesilao* apud Athen. IV p. 131 A (F. C. III p. 182 sqq.), quae vs. 34 sq. leguntur sic scripta:

τί γὰρ ἐκλείπει
δόμος ἡμέτερος ποιῶν ἀγαθῶν;

Graeca erunt, si una mutata literula reposuerimus:

τί γὰρ ἐλλείπει κτἑ.

In eiusdem poetae loco, quem e *Tereo* servavit Athenaeus XV p. 691 A:

ἀλλ' οἷα νύμφη βασιλὶς ὠνομασμένη·
μύροις Μεγαλλείοισι σῶμ' ἀλείφεται.

iure olim negabam *ὠνομασμένη* dici potuisse illa aetate pro *κατωνομασμένη*, i. e. *desponsata,* quae fuit Meinekii sententia III p. 193. Nisi fallor, *ὠνομα-*

σμένη male conglutinatum est ex nomine aliquo meretricio et adiectivo ἀ σ μ έ ν η.

Collato alio ipsius Anaxandridis loco e *Γεροντομανίᾳ* ap. Ath. XIII p. 570:

ὑπέφαιν᾽ ἐσομένη δ᾽ Ὤ κ ι μ ο ν λ α μ π ρ ὰ πάνυ

(sic enim pro λαμπρὸν lego cum Dobreo), non male conieceris:

ἀλλ᾽ οἷα νύμφη βασιλὶς Ὤ κ ι μ ο ν ἀ σ μ έ ν η
μύροις Μεγαλλείοισι σῶμ᾽ ἀλείφεται.

nam in nominibus propriis tantam sibi permittunt poetae licentiam, ut non dubitem incisum hunc in sede quinta anapaestum admittere, quem in nomine appellativo vitiosum esse concedo.

Ephippus in *Geryone* apud Athen. VIII p. 346 F:

τούτῳ δ᾽ ὁπόταν ναίεται χώρας
ἰχθύν τιν᾽ ἕλωσ᾽ οὐχ ἡμέριον,
τῆς περικλύστου δ᾽ ἁλίας Κρήτης
μείζω μεγέθει, λοπάς ἐστ᾽ αὐτῷ
δυνατὴ τ ο ύ τ ο υ ς χ ω ρ ε ῖ ν ἑκατόν.

Merito Meinekius linguae usum non permittere contendit, ut τούτους accipiatur pro τοιούτους. Qui si vel maxime permitteret, tamen cur ad unum piscem coquendum patina centum piscium capax requireretur, prorsus non intellego. Mensurae nomen latere visum est Meinekio; quod si recte coniecit, necesse est fuerit tanta, quantae notitia nulla ad nostram pervenit aetatem. Aliud quaerendum esse censeo.

Facit autem Cretae mentio, quam fuisse ἑκατόμπολιν vetus fama celebrabat, ut suspicer scriptum quondam fuisse:

δυνατὴ Κ ν ω σ ο ὺ ς χωρεῖν ἑ κ α τ ό ν.

Cnosus, unde totam insulam *Cnosiam tellurem* dixit Vergilius, erat olim praecipua Cretensium civitas. Tantae igitur magnitudinis civitates si patina centum capere poterat, sufficiebat ad coquendum piscem

τῆς περικλύστου ἁλίας Κρήτης
μείζω μεγέθει.

Sophilus *Ἐγχειριδίῳ* apud Athen. X p. 431 A (F. C. III p. 581) traditur scripsisse:

σ υ ν ε χ ὴ ς ἄκρατος ἐδίδοτ᾽ ἴσον ἴσῳ κτέ.

sermone vix Graeco. Corrige, sodes:

σ υ ν ε χ ῶ ς κτέ.

et compara Antiphanem F. C. III p. 146, Ephippum ibid. p. 323 et Nicostratum ibid. p. 288. Recte habet adiectivum apud Menandrum IV. p. 307.

Infeliciter Meinekius (III p. 603) explevit lacunam in fine iocosi fragmenti, quod e Tɪᴍᴏᴄʟɪs *Satyris* exstat apud Athenaeum IX p. 407 F, scriptum inde a vs. quinto in hunc modum:

πρὸς δὲ τὸν χρηςὸν δραμὼν
Τηλέμαχον Ἀχαρνέα σωρόν τε κυάμων καταλαβὼν
ἁρπάσας τούτων ἐνέτραγον. ὁ δ᾽ ὄνος ἡμᾶς ὡς ὁρᾷ
— υ — Κηφισόδωρος περὶ τὸ βῆμ᾽ ἐπέρδετο.

Quia enim ex Harpocratione, allato a Bergkio constat, *asinum* ipsum dici Cephisodorum, non intellego, quare Meinekius inserat ὡ σ π ε ρ ε ί, quod adverbium isto quidem loco positum cum ὄνος coniungi nequit.

Equidem supplere non dubito:

ὁ δ᾽ ὄνος ἡμᾶς ὡς ὁρᾷ
(ε ὐ θ έ ω ς) Κηφισόδωρος περὶ τὸ βῆμ᾽ ἐπέρδετο.

ut Cephisodori nomen sit epexegema vocabulorum ὁ ὄνος. Adverbium εὐθέως in eadem sede tetrametri trochaici catalectici posuit Aristophanes Vesp. 1081, praegresso autem ὡς, ut h. l. apud Timoclem, item Pac. 136.

Tɪᴍᴏᴄʟɪs *Philauli* particula exstat apud Athen. XIII p. 563 a, inde a vs. quinto sic edita:

ἐγὼ μὲν οὖν καὐτὸς κιθαριςρίας ἐρῶν,
παιδὸς κόρης, οὐ νοῦν ἔχω, πρὸς τῶν θεῶν;
κάλλει καλῆς, μεγέθει μεγάλης, τέχνῃ σοφῆς.
ἣν ἐς᾽ ἰδεῖν ἥδιον ἢ τὸ θεωρικὸν
ἔ χ ο υ σ ι ν ὑμῖν δ ι α ν έ μ ε ι ν ἑκάςοτε.

Nihil huius loci intellectum promovit Emperii coniectura ἑκοῦσιν pro ἔχουσιν, quod ita tantummodo recte diceretur, si solerent homines eam pecuniam accipere ἄκοντες. Haud paullo rectius Grotius coniecit α ἰ τ ο ῦ σ ι ν. Comparetur Luciani Timon cap. 49 extr. ἐπειδὴ πρῴην ἔλαχε τῇ Ἐρεχθηΐδι φυλῇ δ ι α ν έ μ ε ι ν τὸ θ ε ω ρ ι κ ὸ ν, κἀγὼ προσῆλθον α ἰ τ ῶ ν τὸ γιγνόμενον κτέ. Attamen loci difficultas, ut recte monuit Meinekius, potius est in verbo δια-

νέμειν. Vix enim intellegitur, quo tandem pacto amator iste de pecuniae theatralis divisione mentionem hic iniicere possit. Alloqui eum, qui loquitur, spectatores cum Schweighaeusero manifestum esse arbitror. Hi enim recte dicuntur *ἔχειν τὸ θεωρικόν*, neque dubium est quin pro *ἡμῖν*, quod est in libris, recte recepta sit Grotii emendatio *ὑμῖν*.

Suspicor autem in corrupto verbo latere *διαπονεῖν*, quod verbum una cum forma media *διαπονεῖσθαι* usurpari solet de *labore difficili*. Quo verbo admisso, sententia haec erit: *quam virginem videre* (honestiore utitur vocabulo, quemadmodum Epicrates F. C. III 366 dixit de Laide: *ἰδεῖν μὲν αὐτὴν ῥᾶόν ἐϛιν ἢ* — sic enim olim emendavi pro *καὶ* — *πτύσαι*) *quam videre est iucundius, quam identidem elaborare gratia vestra qui habetis pecuniam theatralem*. Histrio qui agit amatorem, subito satis ridicule et comice partibus suis excidit. Virginem osculari, inquit, aliquanto dulcius est quam identidem omnium virium contentione mimum actitare coram vobis, qui ipsi otiosi sedentes theatrali pecunia (quam nullo labore vestro publica largitur liberalitas) freti a miseris ludiis nihil non soletis exigere. Ubi huiuscemodi cogitatio non nimis invidiose sed urbana ac civili ratione indicanda erat, vix aptius loqui poterat. Quid vellet histrio, non apertissime sed sapientibus tamen satis prodebat oppositum *διαπονεῖν*. Contra in *θεωμένοις ὑμῖν* nullus inesset aculeus.

Pseudophilemoni (Compar. Men. et Phil. p. 357. Cf. F. C. IV p. 59) reddatur quae excidit vocula scribendo:

πρόσεϛι δὲ τῷ πένητί (πως) ἀπιϛία,
κἂν σοφὸς ὑπάρχῃ κτέ.

in quali sententia *πώς* valet *fere, nescio quomodo*. Cf. Menander Fr. C. IV 108

ἱεροπρεπής πώς ἐϛιν ἡμῖν ἡ τέχνη.

idem ib. p. 175:

καὶ φύσει πως εὐαγωγόν ἐϛι πᾶς ἀνὴρ ἐρῶν.

idem p. 324:

ἡ τῶν ὁμοίων αἵρεσις μάλιϛά πως
τὴν τοῦ βίου σύγκρασιν ὁμόνοιαν ποιεῖ.

Menandri *Τροφωνίου* fragmentum apud Athen. IV p. 132 E (F. C. IV p. 205) sic editur:

Ξένου τὸ δεῖπνόν ἐςιν ὑποδοχή. Β. τίνος;
ποδαποῦ; διαφέρει τῷ μαγείρῳ τοῦτο γάρ.
οἷον τὰ νησιωτικὰ κτέ.

Quis sit hospes scire coqui non interest, sed, quod apparet e sequentibus, plurimum, *unde sit*. Idcirco, deleto accentu pronominis, locus potius sic distinguatur:

Ξένου τὸ δεῖπνόν ἐςιν ὑποδοχή τινος.
Β. ποδαποῦ; διαφέρει κτέ.

Idem apud Apollonium de pronom. p. 275 a. (F. C. IV p. 210):

νῦν δὲ κατὰ πόλιν
εὕρηκε τὸν ἕτερον τὸν σέ, τὸν ἐμὲ τουτονί.

Verba sensu vacua, donec, deleto (quod iubet metrum) articulo secundo, sic mecum personis diviseris:

νῦν δὲ κατὰ πόλιν
εὕρηκε τὸν ἕτερον, σέ. Β τὸν ἐμὲ τουτονί;

i. e. *nunc vero in urbe repperit* (eorum) *alterum, te dico. B mene? quid narras?*

Idem Menander apud Schol. ad Aesch. F. L. § 179 (F. C. IV p. 330 sq.) *δοκοῦσιν αἱ γυναῖκες πικραὶ σφόδρα εἶναι περὶ τὸ ὀργίζεσθαι, διὸ καὶ Μένανδρός φησι·*

φιλόνεικος δ' ἐςι καὶ μία γυνὴ
εἰς μῆνιν.

Pro *καὶ μία* coniectum est *Σιμία, καὶ πικρὰ* et *κἀγρία*, quorum nihil sufficere videtur. Mihi *ΜΙΑ* ex *ΛΙᾹ* i. e. *λίαν* corruptum videtur, ut Menander de muliere nescio qua dixisse putandus sit:

φιλόνικος δ' ἐςι καὶ λίαν γυνή
[εἰς μῆνιν].

»Contentiosa est et *nimis* mulier [quod ad iram attinet]." Ceterum non diffiteor duo ultima vocabula mihi suspecta esse, si quidem substantivum *μῆνις* de *hominum* praesertim *ira* dictum aetate Menandri alienum fuisse videtur a populari, quo comoedia utebatur, sermone. Nec tamen propter verba scholiastae *πικραὶ περὶ τὸ ὀργίζεσθαι* delere ea ausim. — Dudum postquam haec scripsi casu incidi in Aristaeneti locum, quo planissime confirmatur utraque suspicio. Leguntur enim in libri II Epistola XX haec: *ὡς φιλό-*

νεικος, εἶπεν, ὑπάρχεις καὶ λίαν γυνή, prorsus ut scribendum conieceram et omisso additamento *εἰς μῆνιν*, quod iam delere non dubito.

Idem apud Stobaeum Flor. XVIII, 19 (F. C. IV p. 256):

χαλεπὸν ὅταν τις ὢν πίῃ πλέον λαλῇ
μηδὲν κατειδὼς ἀλλὰ προσποιούμενος.

Metrum tantum, non sententiam, restituit Bentleius ita corrigendo codicum lectionem *πίνῃ*, et vetat, opinor, comicorum sermonis proprietas *ὢν πίῃ* dici pro *ὢν ἂν πίῃ*. Ego conieci:

χαλεπὸν ὅταν τις ὢν πρέπει πλείω λαλῇ κτέ.

Diphilus ap. Clement. Al. Strom. VI p. 462 Sylb. (F. C. IV 418):

Οὐκ ἔςι βίος, ὃς οὐχὶ κέκτηται κακά,
λύπας, μερίμνας, ἁρπαγάς, ςρέβλας, νόσους.

In hac enumeratione manifesto locus nullus est *rapinis*. Requiritur quod *angorem* significet, neque igitur reponere dubitem:

λύπας, μερίμνας, ἀγχονάς, ςρέβλας, νόσους.

Similiter verba *ςρεβλοῦν* et *ἄγχειν* coniunxit Aristophanes Equit. 772.

Idem apud Ath. II p. 47 b. (M. IV 420)'

τέρπομαι γυμνοὺς ὁρῶν
τοὺς ὀξυπείνους καὶ πρὸ τῶν καιρῶν ἀεὶ
πάντ' εἰδέναι σπεύδοντας.

Vitiosum *γυμνοὺς* facillime nasci potuit ex *γελ῀μ'νους*, i. e. *γελωμένους*, quod ipsum loci ratio requirit.

Ergo scribam:

(ἐγὼ δὲ?) τέρπομαι γελωμένους ὁρῶν
τοὺς ὀξυπείνους κτέ.

Hipparchus apud Athen. XI p. 477 F (F. C. IV p. 481):

προσέχεις τι τούτῳ τῷ ςρατιώτῃ; ποῦ δ' ἔχει
ἀργύριον οὗτος; οὐδαμόθεν, εὖ οἶδ' ἐγώ,
ἀλλ' ἢ δαπίδιον ἓν ἀγαπητὸν ποικίλον,
Πέρσας ἔχον καὶ γρῦπας ἐξώλεις τινὰς
τῶν Περσικῶν. Β. ἐς κόρακας, ὦ μαςιγία.
*Α. καὶ κόνδυ καὶ ψυκτῆρα καὶ * κυμβίον.*

Verba videntur lenonis expostulantis cum meretrice, quod militem amet non dantem pecuniam sed vestem nescio quam stragulam aliaque, quae ultimo versu enumerantur. Manifestum autem, quae res non latuit Meinetium, incertissimam esse hanc quam secutus est Iacobsii coniecturam *ποῦ δ' ἔχει*, quum libri fluctuent inter *τοῦ δὲ δείου, τοῦ δεδείου* et *τοῦ δὲ δή*. Et lenius et sententiae accommodatius foret:

ποτ' ἐδίδου
ἀργύριον οὗτος κτέ.

Imperfectum bene habet, modo intellegatur aut *quando dare solebat*, aut *quando dare paratus erat*, ut legitur v. c. apud Demosth. in Midiana § 85: *τὸ μὲν οὖν πρῶτον* (Midias) *οἷός τ' ἦν πείθειν αὐτὸν, ἣν καταδεδιῃτήκει, ταύτην ἀποδεδιῃτημένην ἀποφαίνειν, καὶ πεντήκοντα δραχμὰς ἐδίδου*. Eadem vi Hartungius EURIPIDI in Suppl. 740 pro *θέλοντος* non male reddidit *διδόντος*.

Fortasse tamen praestat in concitata praesertim hominis irati oratione:

ποῦ δὲ δὴ
ἀργύριον οὗτος; κτέ.

ubi vero iste pecuniam? i. e. qua occasione iste pecuniam tibi dedit? Ellipsis verbi *διδόναι* nihil habet, quo offendaris. Sic v. c. in noto Vesparum loco puer ad patrem:

ἐθελήσεις τί μοι οὖν, ὦ πάτερ, ἤν σου τι δεηθῶ;

Et *ποῦ* habet rectissime, ubi cum vi nec sine indignatione aliquid negatur. Vide Porsonum ad Orest. 793 et Elmsleium ad Heracl. 371. Requiriturne praeterea *οὐδαμοῦ γ'* pro *οὐδαμόθεν* Vix crediderim: *οὐδαμόθεν* eodem modo usurpatum videtur pro *οὐδαμῶς*, quo saepe apud Atticos, oratores imprimis, *πόθεν;* pro *πῶς;* adhibetur, ubi cum contemptu aliqua opinio repudiatur et abiicitur. Ultimo versu scripserim:

καὶ κόνδυ καὶ ψυκτῆρα καί (τι) κυμβίον.

in quo *τι* additum auget contemptum, quo leno, si lenonem loqui recte opinatus sum, haec pronunciare videtur.

Meinekii coniecturam:

ψυκτήριον καὶ κυμβίον

falsam esse arguit pes tertius cum quarto integra voce comprehensus. Praestat certe altera *κυμβίδιον* pro *κυμβίον* legendum esse.

Philippides apud Athen. XI p. 781 F (Fr. Com. IV p. 476):

τὰ ποτήρι' ἂν ἴδῃς, τὰ παρεσκευασμένα
ἅπαντα χρυσᾶ, Τρόφιμε, νὴ τὸν οὐρανόν,
ὑπερήφανα. ἐγὼ μὲν γὰρ ἐξέστην ἰδών.
κρατῆρες ἀργυροῖ, κάδοι μείζους ἐμοῦ.

Deesse apodosin loco sic scripto intellegens, ni fallor, Meinekius vere observat non sufficere hanc suam versus tertii correctionem:

ὑπερήφαν'· ἔγωγε μὲν γὰρ κτέ.

in qua neque numeri sunt optimi, neque *ἔγωγε μὲν γάρ* recte habere videtur.

At prima fragmenti pars sana erit, ubi, mutato spiritu leni in asperum, mecum reposueris:

τὰ ποτήρι', ἃν ἴδῃς, τὰ παρεσκευασμένα,
ἅπαντα χρυσᾶ (scil. *ἐστίν*).

Ceterorum correctio incertior.

Lacunam statuerim in Euphronis loco apud Athen. IX p. 379 D (F. C. IV p. 487), cuius loci ultimos vss. sic ediderim:

χορδῆς ὀβελίσκους ἡμέρας ζητουμένους
*δύ' ἐχθὲς ὠμοὺς εἰς * * * **
** * * * * * τὸ πῦρ ἀποσβέσας,*
καὶ πρὸς τὸ δίχορδον ἐτερέτιζες κτέ.

Hinc factum puto, ut frustra locum intellegere conemur et emendare, nam *ἡμέρας* v. c. sanum esse non potest, siquidem e sequenti *δίχορδον* apparet *δύο* coniungendum esse cum *χορδῆς ὀβελίσκους*. Propter sequens *ἐχθές* suspiceris *τήμερον*.

Iam aliis iure displicuit *ὀβελίσκους ὠμούς*, pro quo *ὠμῆς* requirebant. Erat quum pro *ὠμοὺς εἰς* coniicerem *εὐμούσως*, sed vel sic verba quaedam necessaria periisse manifestum est. Ceterum cf. Meinekii adnotatio.

Posidippus apud Athen. III p. 87 F (F. C. IV p. 517):

ὥρα περαίνειν ἐγχέλεια, καράβους,
κόγχας, ἐχίνους προσφάτους, μηκώνια
πίννας, τραχήλους, μύας.

Non potest *περαίνειν* significare, quod voluit Meinekius, *πορίζειν*, non magis quam *absumere*, ut interpretatus est Schweighauserus, recte ab illo reprehensus.

Vocabula sic describenda arbitror:

— ὥρα περαίνειν · ἐγχέλεια, καράβους κτέ

aut:

— ὥρα περαίνειν. Β. ἐγχέλεια κτέ.

Potuit verbi gratia (diversa enim comminisci poteris) alterum alter interrogasse convivii nescio cuius descriptionem: Quosnam vobis ὁ δεῖνα cibos apposuit? Quid cessas dicere? ὥρα περαίνειν, ut deinde alter pisces enumeret. Sed nihil impedit, quin omnia dicantur ab eodem.

Adscribam his in comicorum fragmenta animadversionibus duo frustula Aristophanea, quae multis abhinc annis primus protraxi e bibliotheca Laurentiana. Extat ibi in codice (Plut. LVII) vetus lexicon Graecum anonymum ineditum, neque me iudice dignum quod edatur. Nihilominus diligenter illud, ut huiuscemodi libros solebam, perscrutatus sum, an forte hic illic veteris alicuius scriptoris reliquiae sub istis sordibus delitescerent. Nec in hoc sane codice spem eventus prorsus fefellit. Grammaticus enim inter locos Aristophaneos bene multos, nobiliores plerosque, duos laudat, quos frustra in illius poetae reliquiis quaesieris. Alter non nisi quatuor constat vocabulis. Legitur autem in codice sic:

ἔχω — τὸ *ἐπέχω* καὶ *κατέχω* ἀμετάβατον ἐμαυτὸν δηλονότι, ὡς Ἀριϛοφάνης ·

ἔχει (sic) δὴ *καὶ σκόπει*.

Ex his quatuor vocabulis unum corruptum aliud interpolatum ne sit valde vereor. Non enim video quid horum scribere Aristophanes potuerit nisi hoc:

ἔχε δή, σκόπει.

Quid ipse Grammaticus legerit, ex eius observatione non facile efficietur.

Alterum locum, tamquam e Vespis desumtum, his verbis laudat idem lexicographus:

διαφέρειν · — ἀφ' οὗ καὶ *ἀδιάφορος* ὁ μὴ προσήκων μηδὲ οἰκειότητά τινα ἔχων ὡς *Ἀριϛοφάνης Σφηξίν*: οἴμοι τουτὶ τί ἦν; ἀδιάφορός μοι φαίνεται ὁδί.

At nibil in Vespis, quas hodie legimus, eiusmodi extat, aut extare, opinor, potuit; neque Vesparum fabula, ut Nubium, Pacis, Pluti, Thesmophoriazusarum, quod sciamus, umquam a poeta retractata est. In titulorum vero, quorum certa memoria, numero nomen non reperitur ullum, quocum Vesparum nomen facile confundi potuerit. Nisi igitur Grammaticus noster eiusve auctor deficiente memoria Vespis tribuit, quod alibi legerat apud Aristophanem, leni manu refingendum erit: *ὡς Ἀριϛοφάνης φησίν.*

Verba autem poetae sic digere:

οἴμοι,
τουτὶ τί ἦν; ἀδιάφορός μοι φαίνεται
ὁδί.

ut *οἴμοι*, quod non raro factum, sit positum extra metrum. Incertum vero an *οἴμοι* sit eiusdem, qui cetera loquatur.

Tandem videant me eruditiores unde lexicographus petiverit, quae verba, non nominato scriptore, laudat ita scribens: *ἀπαγορεύω: τὸ ἀρνοῦμαι ὡς τὸ ἀπαγορεύω σε* (sic) *τὴν πρὸς ἐμὲ εἴσοδον.* Nisi forte est exemplum fictum ab ipso.

CAPUT VI.

DE VERSIBUS ET HEMISTICHIIS SPURIIS APUD POETAS SCENICOS.

Paene invitus nec sine formidine quadam me accingo ad disputandum de gravissimo simul et difficillimo artis loco, qui est de versibus spuriis. In hac enim crisi Guilielmus Dindorfius, magnus ceteroquin in paucis criticus, in novissima scenicorum editione, si reliqua spectamus, non indignum egregio viro opus, ita omnem modum prudentiamque excessisse videtur, ut non immerito incurrerit in reprehensionem Heimsoethii, qui in *tertia de interpolationibus commentatione* multis exemplis ostendit damnatos et in marginem relegatos a Dindorfio versus non raro simplici correctione in ordinem redigi posse; in qua vituperatione convenit ei cum Madvigio, qui in *Adversariis Criticis* non uno loco contra hanc condemnandi licentiam iure invectus est.

»Hoc quidem" ait Heimsoethius pag. IV »per se manifestum est, in omnibus locis, ubi verba ita corrupta sunt, ut sententia prorsus obscurata »sit, primum quaerendum esse, quid olim scriptum fuerit, dein iudicandum »de auctore; neque enim de re incognita iudicare licet, neque artis est ex »incertis incertas praesumere suspitiones. Idem autem faciendum est, ubicumque verba reperiuntur ita aliena ab re, ut non possint a quoquam consulto sic scripta esse, sed tantum fortuito orta. Sin corrupta quidem sunt, »sed ita tamen comparata, ut de sententia ac scriptoris voluntate dubitari »nequeat, primum videndum, utrum sententiae eiusmodi sint, ut possint a »scriptore profectae esse, necne; si possunt, num verba ita restitui queant, »ut singula quaeque cum scriptore concinant. Etiam ubi duae sententiae non »congruunt inter se priusquam alterutram sive utramque damnemus, de utro»que separatim videndum, utrum rebus apta sit, necne; si per se quidem »utraque apta num ita possit altera cum altera copulari, ut recte se ha»beant omnia."

Prudenter haec vir eximius disputavit, et neminem esse puto quin libenter huic sententiae subscripturus sit, modo ipse Heimsoethius concedat etiam haec praecepta sequenti in vindicandis versibus suspectis modum excedendum non esse. Pauci enim sunt versus ita comparati, ut non violenta aliqua mutatione ita possint scilicet emendari, ut amice cum reliquis conspirare videantur. Ubi vero tot, etiam veterum interpretum testimoniis constat, quanta licentia histriones et seriores poetastri inserendo sui ingenii foetus in veterum poetarum scripta grassati sint, equidem saepe atheteses aliquanto probabiliores esse iudicaverim quam eiusmodi mutationes, quarum nulla reddi possit ratio satis verisimilis.

Hisce igitur praemissis disseram de versibus et hemistichiis mihi ob unam alteramve causam suspectis.

Non calumniari neque argutari mihi videor contendens in Aeschyli Prometheo, ubi huic dicenti (vs. 621):

τοσοῦτον ἀρκῶ σοι σαφηνίσας μόνον

vaga Io respondet:

καὶ πρός γε τούτοις τέρμα τῆς ἐμῆς πλάνης.

melius abesse, qui subsequitur versus plane inutilis:

δεῖξον τίς ἔςαι τῇ ταλαιπώρῳ χρόνος,

quia vs. 622 quod deest commode suppletur cogitando e versu praegresso.

Quae res non intellecta facile movere potuit lectorem, ut versiculum istum a se fictum adscriberet. Nec ipsum poetam addidisse arguit fere neglecta stichomythia.

Scholium metro adstrictum vereor ne perdiderit locum Euripidis in *Supplicibus*, ubi inde a vs. 1114 haec leguntur:

τάδε δὴ παίδων καὶ δὴ φθιμένων
ὀςᾶ φέρεται· λάβετ' ἀμφίπολοι
γραίας ἀ μ ε ν ο ῦ ς [οὐ γὰρ ἔνεςιν
ῥώμη παίδων ὑπὸ πένθους],
πολλοῦ δ ὲ χρόνου ζώσης μέτρα δὴ
καταλειβομένης τ' ἄλγεσι πολλοῖς.
τί γὰρ ἂν μεῖζον τοῦδ' ἔτι θνητοῖς
πάθος ἐξεύροις
ἢ τέκνα θανόντ' ἐσιδέσθαι.

Deleto enim interpretamento vocabuli poetici *ἀμενοῦς*, *οὐ γὰρ — πένθους*, vide quaeso quanto pulchriora fiant relequa. Ipse enim poeta melius aliquanto et plenius significat, cur *imbecillam* vetulam vocaverit: nempe duplicem, non simplicem, deinde causam affert: *et* (nam scribendum est: *πολλοῦ τε* (pro *δὲ*) *χρόνου κτέ.*) provectam aetatem, *et* dolorem ob filiorum interitum. Hic, si usquam, tenemus falsarium manifestum.

In ejusdem poetae Iphigenia *Aulidensi* vss. 746—750:

ὅμως δὲ σὺν Κάλχαντι τῷ θυηπόλῳ
κοινῇ τὸ τῆς θεοῦ φίλον, ἐμοὶ δ' οὐκ εὐτυχὲς
ἐξιςορήσων εἶμι, μόχθον 'Ελλάδος,
χρὴ δ' ἐν δόμοισιν ἄνδρα τὸν σοφὸν τρέφειν
γυναῖκα χρηςὴν κἀγαθήν, ἢ μὴ τρέφειν.

post pulcherrima illa Agamemnonis verba:

σοφίζομαι δὲ κἀπὶ τοῖσι φιλτάτοις
τέχνας πορίζω, πανταχοῦ νικώμενος.

quibus scenam relicturus nihil addere potuit sine gravi periculo minuendi in spectatorum animis quam excitare poeta voluit patris infelicis misericordiam, post illa, inquam, vehementer frigent quos versus supra adscripsi, suntque interpolatore ex mea quidem sententia aliquanto digniores quam Euripide. Et tres priores iam Monkium olim damnasse docet me Dindorfii ad h. l. adnotatio; deque his dubitatio potest esse nulla. Nam quid post

superiora illa sibi vult ὅμως, aut quo pacto Iphigeniae sacrificium in Graeciae salutem decretum dici potuit μόχθος Ἑλλάδος? Cur denique iterum a Calchante vult sciscitari quod dudum resciverat? Sed etiam duo reliqui versus gravi sunt dubitationi obnoxia. Nam nulla, opinor, causa fuit, cur Agamemno uxorem h. l. χρηστὴν κἀγαθὴν esse negaret; quae nihildum mali suspicata filiam desponsatam, ut credebat, Achilli, huic in manus tradere ipsa volebat, ideoque statim domum reverti iubente marito, recusaverat.

Quantae vero iniustitiae, criminari uxorem nihil meritam, et quam parum naturae congruum, postquam modo ipse sese malarum artium, idque haud immerito, accusaverat! Neque ipsi versus per se spectati sunt optimi. Duriuscule enim ad illa ἢ μὴ τρέφειν e praegressis unum γυναῖκα cogitatione repetitur, omissis adiectivis χρηστὴν κἀγαθήν, quae primo obtutu nemo est quin repetat. Hinc verum esse dubito quod antehac cogitabam, hos duos vss ex alio dramate olim in margine adscriptos fuisse, etiam propterea quod nulla fuit adscribendi causa. Sed utut hac quidem de re statuetur, quo nunc leguntur loco eos ineptos esse eripiet mihi nemo.

In extrema parte *Helenae* vs. 1666 sqq. haec leguntur:

ὅταν δὲ κάμψῃς καὶ τελευτήσῃς βίον,
θεὸς κεκλήσει καὶ Διοσκόρων μέτα
σπονδῶν μεθέξεις · [ξένιά τ᾽ ἀνθρώπων πάρα
ἕξεις μεθ᾽ ἡμῶν·] Ζεὺς γὰρ ὧδε βούλεται.

Exemplum desidero, ubi ξενια dicantur quae ab hominibus Diis offeruntur. Quam vero languent ista ἕξεις μεθ᾽ ἡμῶν post verba Διοσκόρων μέτα μεθέξεις! Num est Graeca lingua tam inops verborum, poetave ita infans Euripides? Neque elegantia hercules excellit ἀνθρώπων πάρα in eadem senarii sede, in qua versus praecedens habet Διοσκόρων μέτα. Deletis vero istis, egregii restabunt versus:

ὅταν δὲ κάμψῃς καὶ τελευτήσῃς βίον,
θεὸς κεκλήσει καὶ Διοσκόρων μέτα
σπονδῶν μεθέξεις · Ζεὺς γὰρ ὧδε βούλεται.

Heraclid. vs. 529 sqq.:

ἡγεῖσθ᾽ ὅπου δεῖ σῶμα κατθανεῖν τόδε
[καὶ στεμματοῦτε, καὶ κατάρχεσθ᾽, εἰ δοκεῖ,]
νικᾶτε δ᾽ ἐχθρούς · ἥδε γὰρ ψυχὴ πάρα
ἑκοῦσα κοὐκ ἄκουσα · κἀξαγγέλλομαι

θνήσκειν ἀδελφῶν τῶνδὲ κἀμαυτῆς ὕπερ.
εὕρημα γάρ τοι μὴ φιλοψυχοῦσ' ἐγὼ
κάλλιϛον εὕρηκ', εὐκλεῶς λιπεῖν βίον.

En versus admirabiles, generosaeque indolis splendidum exhibentes testimonium! Unum tamen abesse malim vs. 530, qui post eximium illum ἡγεῖσθε—τόδε, me quidem iudice, friget et ob minus aptam h. l. amplificationem τοῦ κατθανεῖν et ob additam clausulam εἰ δοκεῖ, qua fere minuitur parati ad sacrificium animi significatio, ita ut paene dubites an mox ex animi sui sententia dicat: ἥδε γὰρ ψυχὴ πάρα ἑκοῦσα κοὐκ ἄκουσα. Suspicionem auget verbum nusquam lectum ϛεμματοῦν, quod cogente metro huius versiculi auctor pro ϛέφειν sive ϛεφανοῦν suo Marte finxisse videtur.

Non vero potest esse fraus apertior quam in Euripidis fragmento DLIV (Dind.):

ἐκ τῶν ἀέλπτων ἡ χάρις μείζων βροτοῖς
[φανεῖσα μᾶλλον ἢ τὸ προσδοκώμενον].

ubi versus posterior nihil continet nisi ineptum et obscurum prioris interpretamentum. Egregia brevitate poeta dixerat: *quo sit gratia minus expectata, eo maiorem esse.*

Suspectum habeo versum in Aristophanis *Pace* 850 in hoc Trygaei cum servo dialogo:

Serv. πόθεν δ' ἔλαβες ταύτας σύ; Tryg. πόθεν; ἐκ τοὐρανοῦ.
Serv. οὐκ ἂν ἔτι δοίην τῶν θεῶν τριώβολον,
εἰ πορνοβοσκοῦσ' ὥσπερ ἡμεῖς οἱ βροτοί.
Tryg. [οὐκ, ἀλλὰ κἀκεῖ ζῶσιν ἀπὸ τούτων τινές].

Nam ingenium huius poetae nimis suspicio et admiror, quam ut persuadere mihi possim eum, si opus duxisset, ut Trygaeus servi nequitiae aliquid responderet, non lepidius huic et facetius responsum tributurum fuisse quam nunc tribuisse traditur. Sed nihil Trygaeum respondisse suspicor propter vs. 855:

λείχειν ἄρ' αὐτῇ κἀνθάδε σκευαστέον,

quam inverecundam servoli observationem, ut par erat, silentio herus transmittit.

Si versus est Aristophanis, nec sane pugnabo cum iis qui esse putent,

procul dubio recte Dindorfius correxit ἀπὸ τούτου. Sed vide ne ipsum illud τούτων sit sequioris originis indicium.

Ranarum vs. 1122:

ἀσαφὴς γὰρ ἦν ἐν τῇ φράσει τῶν πραγμάτων

iure damnavit in *Vindiciis Aristophaneis* Meinekius, ignorans me multis annis ante idem iam declarasse in thesi LXIII post dissertationem Academicam editam a. 1855.

Non minus suspectum habeo vs. 1157: ἥκω δὲ ταὐτόν ἐστι τῷ κατέρχομαι, prognatum e scholio marginali, quale habent etiamnum Venetus liber cum Ravennati: τὸ ἥκω, φησί, ταὐτόν ἐστι τῷ κατέρχομαι. Rectissime in Ambrosiano meo versum spurium manus recentior περιέγραψεν. Spero fore ut tandem a futuro *Ranarum* editore exturbetur e textu.

In *Pluto* denique post multas Sycophantae de amissis suis opibus querelas vs. 850—859, putide ex mea quidem sententia vir iustus, quasi rem obscurissimam callide excogitaverit, dicit Chremylo:

ἐγὼ σχεδὸν τὸ πράγμα γιγνώσκειν δοκῶ.
[προσέρχεται γάρ τις κακῶς πράττων ἀνήρ],
ἔοικε δ' εἶναι τοῦ πονηροῦ κόμματος.

Non paullo melius, abiecto vs. 861 (πρόσερχεται — ἀνήρ) scriberetur:

ἐγὼ σχεδὸν τὸ πρᾶγμα γιγνώσκειν δοκῶ·
ἔοιχ' ὅδ' εἶναι τοῦ πονηροῦ κόμματος.

Verba mihi suspecta *parepigraphes* metro adstrictae speciem prae se ferunt.

Non ita raro factum est, ut veteres lacunae a scribis temere explerentur. Aliquid huiusmodi accidisse suspicor apud Euripidem in *Oreste* vs. 934 sqq., ubi haec purgandi sui causa dicit matricida:

ὦ γῆν Ἰνάχου κεκτημένοι
ὑμῖν ἀμύνων οὐδὲν ἧσσον ἢ πατρὶ
ἔκτεινα μητέρ' · εἰ γὰρ ἀρσένων φόνος
ἔσται γυναιξὶν ὅσιος, οὐ φθάνοιτ' ἔτ' ἂν
θνήσκοντες, ἢ γυναιξὶ δουλεύειν χρεών·
τοὐναντίον δὲ δράσετ' ἢ δρᾶσαι χρεών (an πρέπει?)·
νῦν μὲν γὰρ ἡ προδοῦσα λέκτρ' ἐμοῦ πατρὸς
τέθνηκεν · εἰ δὲ δὴ κατακτενεῖτέ με,
ὁ νόμος ἀνεῖται [κοὐ φθάνοι θνήσκων τις ἄν].
ὡς τῆς γε τόλμης οὐ σπάνις γενήσεται.

Parum enim probabile videtur ipsum poetam post tam breve intervallum eadem vocabula repetivisse. Tantane infantia fuisse Euripidem, cuius eloquentiam alias merito admiramur! Scribere v. c. potuit: *κοὐκ ἀνεκτὸν ἀνδράσιν, κοὐκέτ' ἐϛ' ἐν ἀσφαλεῖ*, similia; quid tamen scripserit, sciri hodie nequit.

Ab eiusmodi lacunarum supplementis non magis salva evasit comoedia. Legitur in *Vespis*, vs. 802 sqq.:

> *κἂν τοῖς προθύροις ἐνοικοδομήσοι πᾶς ἀνὴρ*
> *αὑτῷ δικαϛηρίδιον μικρὸν πάνυ*
> *ὥσπερ Ἑκάτειον [πανταχοῦ πρὸ των θυρῶν].*

Intolerabilis enim videtur in poeta elegantissimo inanis ista tautologia. Potuit interpolator proficere e vs. 871. Ceterum utrum ipse poeta senarium imperfectum reliquerit necne, non definiam. De senariis imperfectis vide quae scripsit Meinekius in *Vindiciis Aristophaneis* ad Pluti vs. 422 et Lys. 169 et Teuffelius ad Nub. 1253. Ille huiusmodi quid usu venisse putat in loco Lysistr. 177 sqq.:

> *ταῖς πρεσβυτάταις* (l. *πρεσβυτέραις*) *γὰρ προστέτακται τοῦτο δρᾶν,*
> *ἕως ἂν ἡμεῖς ταῦτα συντιθώμεθα*
> *θύειν δοκούσαις [καταλαβεῖν τὴν ἀκρόπολιν].*


ubi sciolis reddit tria ultima vocabula senarium, quem poeta imperfectum reliquerit, explentibus.


Non magis expedio hunc *Pluti* locum vs. 146 sqq.:

> Chrem. *ἅπαντα τῷ πλουτεῖν γάρ ἐϛ' ὑπήκοα.*
> Carion. *ἔγωγέ τοι διὰ μικρὸν ἀργυρίδιον*
> *δοῦλος γεγένημαι [διὰ τὸ μὴ πλουτεῖν ἴσως].*

nisi deletis verbis *διὰ — ἴσως*. Nam et propter praegressa: *διὰ μικρὸν ἀργυρίδιον* id additamentum turpiter abundat, et ipsa verba aliquid falsi continere videntur. Servum enim se factum esse quod non *aeque* dives esset (ac quinam?) aut quod *fortasse* (num res igitur dubia?) dives non esset, quo pacto Cario dicere possit, candide fateor me non intellegere.

Sed manum de tabula!


Stanford University Libraries
3 6105 126 620 934


Ex officina Typographica
De Roever-Kröber-Bakels.